



SUPPLEMENTVM CHRO- NICI CARIONIS.

*A Maximiliani primi obitu, nempe ab anno
Christi M. D. XIX. ad an-
num M. DC.*

C A R O L V S Q V I N T V S.

MAXIMILIANO è viuis sublato, duodecima die Ianuarij 1519. bellum inter Episcopum Hildesemensem & Ericum Brunscum statim gestum est, paulò post compoſitum interuentu Friderici Saxonis (is tūc Imperij Vicarius) quod illud ab Henrico Lunæburgico Frācisci Galliæ regis partibus fauente, ut Carolum Austriacum, Hispaniæ regem, cognomine Catholicum, quominus Cesar crearetur, impeditret, fuscitarum crederetur. Nec periculosis, quamquam maioris molis bellum fuit, quod eodem tempore Ulrici Virtembergici cauſa à coniunctis fœdere Suevico principibus & ciuitatibus suscepturn, quod tandem, Ulrico restituto circa annum 1534. extinctum fuit. Grauior contentio inter Franciscum Galliæ, & Carolum Hispaniæ reges orta, Moguntino præfule Caroli partes, Treuirensi contra Marchionem Brandenburgensem adiuuante, tandem electus est Carolus, xxviii. Iunij rex Romanorum, quod & Germanus, Gandaui natus 24. Februario 1500. & in Germania domicilium haberet: fruſtra reclamante Treuirensi, & Germaniæ fatum imponentemque ruinam se animo praefagire dicitante. Suffragatorum venaleis sententias fuſſe fama fuit, magna que inuidia Electoru[m] nonnulli laborarūt, quod ab utroque Principe accepta ingenti pecunia, prēcipue à Francisci ministris, tamen Carolo, ac non potius Saxoni (quem respexerant) vel Brandenburgico, imperatoriam adiudicassent dignitatem. Saxonem conſtanter tantum onus repudiasse ferunt. In ea petitione non tam agebat Gallus, vt ratio sui haberetur, quam vt exclusō Carolo Austrio, cuius meritò potentiam ſuſpeſtam habebat, vnuſ ex Septemviris,

aut quilibet ex aliis Germaniae principibus, Imperator crea-
retur, quippe cum Franciscus de regni Neapolitan: recu-
peratione, & Henrico Labretano Iohannis F. in Nauarræ
regnum restituendo cogitaret, prouidebat fore, ut Pontifi-
cis animus, cuius in ea expeditione opera atque opibus in-
digebat, mutata fortuna, quam ferè semper innata vanitate
quadam ac perfidia sequebatur, facile ab iis consiliis auerte-
retur: nec dubitabat quin Carolus magna spei iuuenis, no-
ua tantæ potentiae accessione auctus de Burgundiæ Impe-
rio, quod Mariæ auiæ à Ludouico vndecimo ademptum
iampridem querebatur, acturus esset, & ad Gallos Medio-
lano deiiciendos, quibus nullum ius ab Imperatore in eo
competeret, nisi quod armis parasset, omnes opes quam-
primum conferret. Accedebat vetus & implacabile Burgu-
dicæ domus in ducem Geldriæ, quem Franciscus tutandum
suscepserat, odium: qua re cum maximè offenderetur Ciro-
lus, omnes iudicabant non diu inter æmulos Principes, in
ætatis flore constitutos, & priuatarum simultatum stimulis
incensos, mansuram concordiam. nec Francisci mens læua
fuit. Nam cum Leo X Lutherum anathemate percussisset, &
inaugurationem Caroli contra clausulam qua reges Neapo-
litani in fidem à Pontificibus Romanis accipiuntur adpro-
basset, primis Comitiis quæ nouus Cæsar anno cœ 15xx.
Vormatiæ habuit, vt Leonis gratiam aucuparetur, Luthe-
rum item proscriptis, & inito cum Pontifice fœdere, de Gal-
lis Mediolano, Insibria, atque adeo tota Italia expellendis
continuò consilium cœpit.

Laurentius Mediceus, quod erat amicitiae inter Franci-
cum regem & Leonem vinculum, decesserat: & Lautrecus
Mediolani Prorex, de Pontificis consiliis certior, sic disci-
plinam ecclesiasticam ordinauerat, vt præfecto sacris Bi-
gerronum episcopo sine autoritate Romani Pontificis o-
mnia administrarentur. quod adeo Leonis animum exaspe-
ravit, alioqui Placentiæ & Parmæ, quæ à Gallis tenebantur
recuperandarum, & Alfonsi Atestini, cui insidias nefaria
fraude struxerat, Ferrariæ possessione deiiciendi cupidi, vt
qui modò Principes Christianos ad concordiam hortatus
fuerat, omnia consilia ad bellum in Italia excitandum con-
uerteret. Præcipuus fuit conatus contra Mediolanum, quo
Leonis impetus, adeo Lautreco infensi, & omnia Cæsari s
consilia ferebantur, quod facile captu fuit, fœderatis Hel-
vetiis, qui iam à Cæsare sollicitati fuerant, ob non per-
solu-

soluta à Lautreco stipendia è Gallorum castris discedentibus. Leone autem subita morte sublato, Hadrianus Bataeus, Caroli quondam præceptor, Pontifex creatus, res Cæsaris alumni sui constanter fouit. Id certè hominum mentes ad Carolum ita inclinavit, vt mox irrito conatu tentata à Lautreco Parma & Papia, secuta dein Heluetiorum ad Bicocam intercessione, Laude Pompeia à Piscario capta, Genua ab Alfonso Vastio Piscarij patruele expugnata & direpta, Senatus Venetus, quamuis beneficio recenti Francisco obstrictus, eius amicitiae renuntiauerit, fœdus cum Cæsare, Pontifice, Fr. fortia contra Gallos percusserit. Ut autem Francisco grauissima, ita Carolo gratissima fuit defectio Caroli Borbonij, qui cum se fuga ex Galliis protipuisset anno 1523. Italiam petiit, in Hispaniam quām primū transmissurus, vt Eleonoram Cæsaris sororem, vti conueperat, in uxorem acciperet. Sed Cæsar, cùm videret Borbonium in Burgundia pollicitationes, quas initio iactauerat, exequi non potuisse, ob id custandum ratus, vt moram in Hispaniam traiiciendi ex honorifica occasione imponeret, Prospero Columna nuper extinto, eum exercitibus cū amplissima potestate in Italia præfecit. Jam enim Cæsar ex Germania in Hispaniam redierat, vt excitatos per absentiā suam motus componeret; quorum occasione oblata Franciscus biennio ante totum ferè Nauarræ regnum, ipsamque Pompelonis arcem, ductu Sparrensis, Lautreci fratriis, recuperauerat. Cæsar igitur conscripto quām potuit maximo exercitu Pompelonem venit, in Aquitaniam processurus, sed difficultatibus locorum & hyemis impeditus, ac deficiente stipendio, quod ab Hispaniæ ordinibus promissum fuerat, expugnata Fontarabia, retrocedere coactus est.

Prima Borbonij expeditio fuit in Provinciam, vbi Aquarum Sextiarum ciuitate capta, Tolonij turre munita, multisque castellis deditis, cū frustra Mafsiliam optimè munitam, Hispano nomini infestam, oppugnasset, in Italiam magna & confusa celeritate rediit. Tantis aduersitatib. obtuto Francisco, apparebat consilium de transitu in Italiam suspensum iiii. Sed recessus Cæsarianorum fugæ similis animum fecit principi generoso & iustæ ultionis stimulis ardenti, ad Alpeis cū exercitu superandas. Venienti fortuna primò attisit: nam Fr. Sforcia subito deseruit Mediolanum, quod suadente Morono ipso mox Francisco patuit. Sed in Papia obsidione, cū rex securius quām decebat ageret, &

ex consilio Clementis VII. qui Adriano Pontifici successerat, exercitum separasset, parte Ioanni Albaniæ regulo, regis Scotiæ patrueli, ad regni Neapolitani expeditionem attributa, Borbonius & Lanouius coniunctis copiis cruentam victoriam de Gallis reportarunt, commissio ad Ticinum prælio, qua & ipse Franciscus captus est, anno 1525. x. Calend. Februarij, qui natalis erat Cæsari. Hac clade prostratis omnino Galliæ viribus, ut videbatur, tamen rex victus tantum efficere potuit, quantum incolmis optare vix esset ausus, exemplique suo verum esse comprobauit, regum res afflictas multorum opes allicere ad misericordiam; dum quisque in præpotentum cladibus suæ conditionis efficacius admonetur. Nam Cæsar licet moderato animo successum hunc tulisset, tamen inuidiam Italicorum Principum vitare non potuit, qui timentes rebus suis etiam non rogati consilia ultro sua communicarunt, ut quæ poterant iacentem Francisci fortunam subleuarent, & victorem nimia prosperitate exultantem, reprimerent. Hactenus Clementis VII. animus hinc à Nicolao Schombergio viro graui & sapiente, sed (ut Germanum decebat) Cæsaris partibus obnoxio: inde à Iohanne Matthæo Giberto Hispanis infectissimo, diversas in parteis distractus, tandem eo adductus est, ut omni ope sibi enitendum existimat, quo Cæsaris potentiam in Italia debilitaret: eaque mente per Hieronymum Meronum Sforziæ Cancellarium, Piscarij tunç, ut apparebat, paulum alienati, animum tentauit, au consilij de liberanda Italia particeps esse vellet, honorificis conditionibus propositis, ut si id probaret, tam iusto bello omnium principum consensu præficeretur, & pulsis regno Neapolitano Hispanis ipse illud futurus Ron a iæ sedis beneficiarius pro præmio à Pontifice acciperet. parte alia Anglus famæ Cæsaris inuidere cœpit, atque ex calamitate vicini & olim ænuli regis dolorem capere se haud obscuris indiciis manifestum fecit.

Cæsar veritus ne uno hoste sublato plurium in se animos concitaret, ad minuendam inuidiam de liberando Francisco deliberare cœpit, & dissentientibus Mercurij Gattinarae cancellarij, Carolique Lanouique super ea re opinionibus, in Lanouij sententiam postremò descendit, acceptisque obsidibus Francisci liberis captiuum regem, conditionibus Madritiano fœdere expressis, custodia libera-tum in Galliam redire permisit. Nec quieuerunt propterea Italæ

Italiæ principes : nam detectis quæ clām per Moronū trā-
stabantur, præ postera Piscarij, qui paulò pōlt mortuus est,
perfidiæ excusatione , consiliis , Pontifex & Senatus Vene-
tus palam cum Francisco fœdus inierunt. Sed capto & mi-
litari licentia ab Hispanis longo tempore vexato Medio-
lano, tandem arx, cùm à fœderatis suppetiæ nullæ ferrentur,
Borbonio deditur à Sfortia. Cæsar, vt imuriam sibi à Cle-
mente illatam vlcisceretur, Pontificij nominis auctoritatem
per omnem Hispaniam abolet , exemplo ab Hispanis ipsis
posteriorati relicto , posse Ecclesiasticam disciplinam citra
Pontificij nominis auctoritatem conseruari. Eodem tem-
pore Columnij à Cæsare instigati , Romam occupant , &
Clementem vii. in mausoleo Adriani obsident. nec multò
post totis viribus Romam itum, Borbonio duce, anno 1517.
6. die Maij, Roma impetu capta & direpta, 1517, postquam
à Totila postremò vastata fuit, anno, abundè de Clementis
ambigua fide Cæsari satisfactum est. Genua denuò in Gal-
lorum potestatem redacta, & multis in Gallia Cisalpina vr-
bibus captis à Lautreco , qui auctore Anglo, Gallorum fœ-
derato, ad id bellum destinatus fuerat, ex consilio Pontificis
in regnum Neapolitanū exercitus ducitur; vbi Petrus Na-
uarra & Rentius Cerius fortes belli duces magnos in Sam-
nitibus & Apulia progressus fecerant. Arausiensis mortuo
Carolo Lanio à Cæsare regno præfectus erat, qui Neapoli
inclusus magna constantia obsidionē sustinuit. Hugo Mon-
cata, Sicilię prorex, rem maritimam administrabat, qui tan-
dem nauali prælio à Philippino Auria victus & occisus
spem magnam vrbis potiundæ dedit. Sed ea victoria in exi-
tium Gallorum vertit , secuta mox Andreæ Auriae defe-
ctione, & marchione Vastio captiuo è custodia emisso, nā
exercitus omnis morbo graissante dissipatus , & Lautrecus
ipse ex mœrore animi paulò post mortuus est. Copiarum
reliquias soluta obsidione Aueriam secum abduxit Mi-
chael Antonius Salciarum marchio, post Lautreci obitum
ab exercitu dux electus: sed in itinere Cæsarianis insequen-
tibus grauiter vulneratus, deditaque Aueria Neapolin de-
latus, ex vulnere decepsit. Nec in Liguria & Gallia Cis-
alpina felicius cum regiis actum. nam Andreas Auria e-
iecto Barbesio rei maritimæ præfecto , Genua & arce poti-
tus Gallos mox Sauona expulit , & Franciscus Borbonius
comes Sampaulinus , dum Papiam contenderet, quo ante
Guidonem Rangonium premiserat, ad Landrianum ab Ar-

tonio Læua cæsus & captus est.

Tot cladibus acceptis res ad pacē spectare cœpit: ac pri-
mus quidem Pontifex Barcinonem profectus, cum Cœsare
fœdus seorsim ab aliis percussit: dein Franciscus ipse Came-
raci cum Margarita Cœsar is amita, citra sociorum fœdera-
torum consensum, qui postea apud eorum oratores de ea re
cum ipso expostulantes vehemens redimendorum libero-
rum desiderium excusauit. Senatus denique Venetus ac reli-
qui fœderati traditis quæ in Samnitibus, Piceno & Apulia
tenebant, oppidis, pacem certis conditionibus fecerunt. Dū
hæc toto nouennio in Italia gerebantur, Germanicæ Eccle-
siæ frustra tumultuātibus seditionis rusticis, fanaticis & por-
tentosarum opinionum fautoribus, incremēta cœpere ma-
xiua, Principes & pij magistratus religiosis orthodoxæ ne-
gotium magno zelo promouerunt, Pontifice de bellis va-
rias cogitationes cum gregalibus suis induente. Gallis au-
tem totâ Italâ exclusis, cùm quiescerent omnia, Cœsar in
Italiam venit, & ab omni motu domestico fœcurus in Pan-
noniam transiuit, ubi magna illa & memorabili Vienœ Au-
striacæ obsidione summam contra Solimanni Turcarū im-
peratoris summos impetus, Philippi comitis Palatini pru-
dentia & fortitudine eximia usus, virtutem admodum fe-
licem opposuit, anno 1529. Inde rediens anno sequenti
in Bononiæ magna pompa à Pontifice, coronam sumpsit, die
natali suo. Dein Augustæ Vindelicorum comitia habuit, in
quibus doctrinæ Germanicarum Ecclesiæ confessionem
à Principibus Protestantibus postulauit, quam exhibuerunt
à Philippo Melanthone, pio, docto, pacis studiosissimo vi-
ro conscriptam, xxv. Junij in publicis comitiis, articulatè,
distinctè, clarè perleccam, ut ab omnibus exaudiretur. Cœ-
sar quum attentas aures præbuisset, ius sit confessionem il-
lam sibi reddi Italicâ & Gallicâ linguae conuersam. Etsi
autem contra Germanicas Ecclesiæ edictum asperius in
eo conuentu edidit; tamen cum Moguntiæ paulò post Al-
bertus archiepiscopus Moguntinus & Ludonicus Palatinus
de Germaniæ pace cum eo colloquerentur: & vicecancellari-
ius Heldus Cafaris adstantis nomine durius respondisset,
Cœsarem, qui alia regna haberet, decretum de religione in
Comitiis aduersus Protestantes conscriptum, etiam si va-
stanta esset Germania, exequi constituisse, Cœsar hunc in-
terpellans dixisse fertur, Hæc non iussi te dicere, nolo enim
vastari Germaniam, quia & patria mea est, & summum im-
perij decus ab ea accepi: Cœsar est etiam, saluti orbis
terrarum,

terrarum, iuuante Deo, pro virili consulere. Data igitur Moguntino & Palatino de pace cum Protestantibus agendi potestate, confectam tandem Ratisbonę confirmauit.

Cæterum, arridente fortuna nullā amplificandæ potentia occasionem prætermittēs Cæsar, vt imperium Germanicum in familia Austriaca firmaret, Ferdinandum fratre Romanorum regem Coloniæ renunciādū curauit, anno 1. 31. Id Septemviri & alij germaniæ principes, quod contra Caroli IV. bullam auream seu cōstitutionis illius leges factum esse conquererentur, magnopere improbarunt, & in ea Septen-uiralem consensum necessarium fuisse dicebant. Idcirco Saxonie elector, Hassiæ Landgratius, Wilelmus & Ludouicus Baioari fratres libertatis germanicæ tuendæ caussa, cum Francisko Galliæ rege clam fœdus pepigerunt, quod anno rum sequentium mutationibus obrutum est. Eodem anno post diutinam obsidionem, in qua Aurasiensis occisus, & eo occiso Ferdinandus Gonzaga subrogatus est, Florentia Cæsari deditur, & vti inter Cæsarem & Pontificem conuenerat, Alexander Medices nothus Laurentij filius Florentinorum dux creatur. Hoc facto Cæsar, cum prouideret sibi à Turcis impendere negotium, pacem cum Protestantibus, Malcaldico fœdere coniunctis, Alberti Moguntini & Ludouici Palatini interueotu factam confirmauit, Viennamque ingenti cum exercitu prægressus, & Solimanno copias suas ex Hungaria in Thraciam reducente, suborta inter milites, vt sit, ob non soluta stipendia seditione, in Italiam atque inde in Hispaniam rediit. At pontifex, qui pace cum Cæsare contracta patriam, hoc est Florentinorum templicam euerterat, vt quod in proverbio est contra noctem procellosam duobus anchoris nauē firmaret, ad finitatem etiam cum Francisco contraxit, indicōque Mantuę cōcilio venit Massiliam, & Catharinam Mediceam Laurētij ex Magdalena Turria filiam Henrico ex Francisci liberis secundo in matrimonium tradidit. Circa finem Septembris anni 1534. pōtificem Clementem VII. clementia fati rapuit, cuius in locū Alexander Farnesiüs, Petri Lodoici filius, qui Onofrius v. primū, inox Paulus III. dici voluit, mense Novembri suffectus est. Annus proximus fuit illustriis expeditiōne Tunetana, quæ & Cæsari gloriā & Reipublice Christianæ magnam utilitatem attulit, exstructa ad fauces lacus arce, quæ repressa Turcarum audacia nauigationem antea piraticis excursionibus infestam hoc præsidio, securiorem Christianis reddebat.

Huc usque Gallorum arma quieuerant, postquam fœdere Cameraci icto custodia emissi sunt Francisci liberi. Sed ea occasione sumpta sunt. Mirabellum Mediolanensem, sed in familia Ludouici XII. & Francisci honorifico loco semper habitum ad se delegari curauerat Franciscus Sfortia, nuper in gratiam receptus à Cæsare : sed quia verebatur, ne ea ratione suspectus esset Cæsari, tegi rem cupiebat. Itaque ex consilio Fr. Tabernæ Mirabelli sororis F. qui summum dignitatis gradum apud Sfortiam obtinebat, Mirabellus priuatorum negotiorum praetextu Mediolanum profectus erat, re vera ut nomine Francisci oratorem apud Sfortiam ageret. Cæsar id ægrè ferens, Mirabelli dimissionem urgebat: cui ut Sfortia satisfaceret, & insigni scelere dilucet rei suspicionem, iuris praetextu Mirabellum noctu securi percussit: quo facto maximam Cæsaris gratiam est promeritus. Franciscus de tanta iniuria violatoque iure gentium apud principes Christianos per oratores expostulauit: cùmque de ea sibi à Sfortia satisfieri debere omni ratione contendenter, Cæsar iure factum dicere, Sfortia excusare, Franciscus tandem armis tantam iniuriam persecundam ratus, quod saluo fœdere Cameracensi sibi licere existimabat, exercitum conscribit. Mortuo Sfortia, Cæsaris nomine Mediolanum occupauerat Antonius Læua, & Cæsar per occasionem redditus ex Africa Neapolin venerat, cum Vetus orator regius in illa expeditione semper comitatus de Francisci consilio certiorem fecit. Quam autem Cæsar moras necteret, Franciscus ad bellum paratus ab incepto neutiquam sibi desistendum existimauit. Hinc grauissimæ querelæ, contentiones, belli apparatus ingentes, Cæsaris parum felix in Provinciam descensus, in Italiam, inde in Hispaniam nauigatio, dum ad Belgij fines vario mante Gallicum Cæstorianis dimicant. Nec non in Italia bellum ardebat: quod inducīs penè extinctum est. Eodem tempore, nempe anno 1538. Paulus Pontifex Nicææ cum Francisco congressus x. annorum inducias, quo concilium celebrati & bellum aduersus Turcas commodius instrui posset, inter Cæsarem & Franciscum firmauit.

Nec multò post ad Fossam Marianam Cæsar cum Francisco colloquutus fraterni amotis specie spem fecit, fore ut certis conditionibus in posterum concordia inter ipsos firma & constans coalescere posset. Anno sequente, quando Gandauenses rebellarent, missisque ad Franciscum legatis ut se veteres regni clientes in fidem reciperet, orarent, repulsam,

repullam passi sunt, Francisco inducias & amicitiam quæ sibi cum Cæsare intercedebat cauſato, quod vbi Cæſar resciuit, ne malum exemplo latius serperet, eò sibi proficiscentum quām primū existimauit. Sed quia videbat niſi per Galliam iter haberet, magno exercitu, quem non tam ſubito, quām pro rei neceſſitate, conſcribere poterat, opus eſſe, per legatos transiſum à rege petiit, quem ſibi eo magis neceſſarium iudicabat, quod ea re arctiorem inter ſe & Franciſcum amicitiam coiſſe ab omnibus creditum iri ſci- ret, Gandauenſesque ſpe auxillj è Gallia deſtitutos facilius redituros ad officium. Id quo facilius impetrare poſſet, referentibus Galliæ historicis, ſpem fecerat Georgio Sel- uz Vauensi epifcopo, qui Franciſci nomine apud eum Oratore agebat, de Mediolano reſtituendo. ſed id petebat, ne in praefentiarum ea de re ageretur, ne neceſſitate adactus potius quām ſponte in id coaſenſiſſe videretur: cæterum ſe, vbi primū in Belgium perueniſſet, regi facturum ſatis. Ita que ſumma liberalitate & humanitate acceptus, deducen- tibufum per totum regnum regiis liberis, Lutetiam rege ipſo comitante magna pompa ingreditur. Cæſaris an fidu- ciā maior fuerit, qui regis irritati toties, & ſeuere nimis, cum aptiuus eſſet, habiti, potestati ſe commiſſit, an fides & ge- nerositas Franciſci, qui hōſpiti, quem ſibi omni offiſio co- lendum proposuerat, ne iuſta quidem petitione moleſtus eſſe voluit, multis & magnis utrinque rationibus agitari po- tuit. Cum ille, dum in Gallia eſſet Momorantio Equitum magiſtro proinissa verbis conſirmasset, & Momorantius Cæſarem proinissa repræſentaturum Franciſco recepiſſet, vbi Valencianas venit, iam de rebus Gandauenſium (quos ſub iugum duriter exceptos reduxit) ſecurior, iuſtantem Vau- reſem, vt fidem de reſtituendo Mediolano datam liberaret, excuſatione primū, ad extreſum denegatione eluſit. quod cum grauiſſime, vt parerat, tulifſet Franciſcus, eā in- que ob cauſam Momorantium antea ſibi percarum à ſe & ab omni regni administratione remouifſet, ad pacem inten- tum animū ad belli cogitationes iuſta indignatione tranſtulit.

Miferat Venetias Franciſcus ſuperiore anno 1539. Clau- dium Annebaldum tribunum equitum, cum Vafio Cæſaris oratore, vt Senatum certiorem de certiſſima in- ter Cæſarem & Gallum amicitia communi legatione fac- tent, & in foedere cum Cæſare contra Turcas inito, à quo alioqui quām primū diſceſſuri videbantur, conſirma;

rent : et si potius id Cæsar egisse à prudentioribus credebat, ut Franciscum à Solimani amicitia se iunctum, Anglo sibi propter diuortium Catharinæ matetetæ paulò ante mortuæ infestissimo redderet suspectum, ipsumq. adeo Anglum ea occasione in suas partes à gallis alienatum per traheret. Itaque ut Senatum Venetum melius de omni re edoceret, & cum Solimano amicitiam renouaret, Franciscus Cæsari Fulgosio genuensi & Antonio Rincono Hispano negotium dat, ut Venetias simul, atque inde Rinconus Cōstantinopolin proficiscatur, sed in itinere dispositis à Vastio insidiis, dum per padum secundo flumine nauigio fermentur, tribus milliaribus paulò supra Ticini in padum sequentis sauceis trucidati sunt. qua de iniuria post crebras apud principes Christianos, præcipue verò apud Pontificem & Germanos expostulationes, cum regi à cæsare nō satisficeret, postremò rursus ad arma ventum est, vario euentu. Muniendis oppidis & arcibus in Italia & Belgio sequens annus 1540. insumptus est, & paulò post damnis maximis vtrinque illatis, & cladibus luctuosis tum Cæsarem tum Galliæ regem ad saniorem mentem pertrahentibus, Franciscus tandem cum Carolo honorifice transagit Crepiaci, sub finem Septembris.

Mediolanum & Genuam profectus' Cæsar anno 1541. expeditionem alteram Africanam, sed infelicem, suscepit, & xxii. Octobris Algieram appulit, ubi cum expulsis exercitum 22000. peditibus & 1000. equitibus constantem, tertio die sequenti, fœda tempestate coorta, sequimus ventorum turbinibus naues aliquot ex collisione fractæ vel fluctibus absorptæ sunt. Dei seueritate Cæsar animaduertens, ad eius misericordiam supplex confugit, idem toti exercitui edicens. Cum autem loco accliui & salebroso cum Mauris Turcisque aspergime manus cōseruisset semel atque iterum, nec dum quiescentibus ventorum procellis, exercitum ad naues progredi iussit, inquiens male se christianū vñū & alterum seruare, quam mille Mauris, Turcis aut Pœnitis inferre necem. Postquam igitur contra hostes, vētorum, maris, pluviarūmque sequitiam frustra dimicauit, amissa potentis exercitus, machinarum, nauium, commeatūsq; maiore parte, in Hispaniam mensē Nouembri egiē reueatus est. At renouato inter Cæsarem & Galliæ regē dissidio, à querelis & criminationibus iterum ad arma deuenit est, anno 1542. Sequentे verò Philippus II. Caroli v. filius à patre tex Hispaniæ disiguatus est xvii. Maij, & Carolus, ex Hispania in Germania.

germaniam reuersus bellū geldricum gessit. Carolus Egmōdanus geldriæ Dux, Cæsari inuisus, nullis relictis liberis detesserat. Is quia gallorū partes tuebatur, crebris incursionibus Cæsaris imperio subditas regiones infestauerat, nō solū vicinis, sed etiā suis odiosus, qui eam ob caussam à Cæsario milite, cōtrariis populationibus vexabantur: quo factum est, vt paulò minus totius ditionis possessione exueretur, & Wilelmus Cliuensium princeps Caroli affinis à populis asciceretur, ægrè id ferēte Cæsare, qui ius in eo sibi arrogabat. Frāscus cui iure suo Carolu sc̄esserat, libenter id omne in Wilelmum trāstulit, addito adfinitatis vinculis, & despōsata Iana Labretana Hērici Nauarrotū regis & Margaritę sororis filia, vt potētē principē secū cōiungeret, & Belgici res quib. ille vicinus & immistus est, hac cōiunctione cōturbaret quod vt prohiberet Cæsar, quāquam Pōtifex ad buxetū usque in Emilia progressus eū a bello dehortaretur, magnis copiis in Menapios descēdit, & tota ferē prouincia in potestatē redacta, eo adduxit Cliuensem, quē vt imperialē clientem proscripterat, vt supplex à se veniā peteret, & Geldria Zutphaniēsq; comitatu adēptis pro sumo beneficio duceret, quod in antiquū patrimoniū & dignitatē, renūciata Gallo amicitia & affinitate, restitueretur. Id impetratū Hermāni archiepiscopi Coloniēsis & Hērici Brūsuici interuētu, quib. & cōdonatū, vt Martinus Rossemius, qui superiore anno in Atnaticos cum Longouallo excurrerat, & tam inopinato aduentu Antuerpiam penē oppresserat, quod bellica virtute excelleter, à Cæsare in gratiam reciperetur.

Sed prius quā bellū Germanicū aggrediat pauca quedā de novo orbe describēda vidētur. Ferdinādi & Isabellæ, q̄aorū depos Carolus, auspiciis, à Celubo multisq; aliis, nauigatio in Indiā Occidētaiē, lucrosa sanè, si autū, argētū, gēmas, aro-mara, & alia id genus sp̄ctes, dānoſa verò. Indos trucidat̄, luxū in Europā ab eo tēpore & conatu sparsū si cogitas, insti-tuta fuerat. Altero aut̄ postquā Carolus Cæsar creatus est anno quo, Ferdinādus Magellanus Lusitanus, indignatione cōtra Manuelē regē conceperat. Cæsari irūlitauit, & versus Occasū in insulas Moluccas tēdens, fretū à se Magellanicū dictū p̄teruectus est, qua in expeditione cū periisset, vna ex iphius nauib. cætera classe amissa, biēnio post toto terrarū orbe cir-cūnauigato Hispalim appulit vi. Idus Septēbris. Cū verò ab iis qui Magellanū comitati erāt, obseruatū fuisse, in occasū tēdētib. crebras terras sitas esse, in quib. ignes accēsi viscebātur, inde factū est, vt postea in omnib. chorographicis tabu-

lis ex aduerso Peruuiæ, regionis longus terrarū tractus descriptibatur, & terra ignea vulgo indigitetur. Eodem anno cœperunt Ferdinandi Cortesij victoriæ, quibus tot capta oppida totis xx. annis, tot lustratæ prouinciæ, imprimisque Mexicanæ, siue Themistitana vrbs in lacu sita, Metescuma rege imperfecto, in potestatem Hispanorum venit. Dum hæc in noua, quam vocant, Hispania geruntur, Peruuiæ regio partim à Guterisio Varga episcopo Placentino, partim à Francisco Pizarro subacta est, & in ea vrbs magni nominis Cusco, Ingarum, hoc est, Principum, sedes, qui circumiacenteis prouincias armis subiugauerant, eorum rex Atabalipa direptis thesauris contra fidem datam crudeliter à Pizarro occisus, mox Deo ita volente, vltores habuit. Nam cùm Ferdinandus Pizarri frater Almagrum captum ad mortem damnasset, Didacus Almagri filius coniuratione facta Pizzarum oppressit. Is postea Vaccę Castrēsis à Cæsare missi prudentia captus & secuti percußus est. Castrensem mox Consaluuus Pizarrus Francisci frater obtruncavit: cumque Blasius Nonius post Castrensem à Cæsare missus esset, qui pro regis titulo Indias moderaretur, is rursus à Cosaluo in prælio captus & ad mortem damnatus est.

Interea terrarum illarum incolæ, sub sæuis dominis, instauriatores, aut fodiendis metallis, aut oneribus portandis, aut piscandis vniuersibus, miserè exanimabantur, quo factum est, ut misso in Indias Bartholomæo Casa episcopo (qui peculiari libro Castellorum horrendas labienas & Indorum immanissimas interaciones descripsit) Cæsar quo certior de illarum statu fieret, hortante & urgente eodem Casa, leges à gubernatoribus cauendas sanxerit, quibus Hispanorum lauitiam coerceret & Indos melius declementia sua sperare in posterum iuberet. Sed misericordis verba data sunt, & in eos postea crudelius sanguinum est. Quum autem Consaluuus Pizarrus magno pruincialium detinimento rursus rebellasset, missus eo fuit à Cæsare iuris consultus quidam Petrus Gasca, humili tantum præsidistiulo fultus, qui quod alij, superbis proregum titulis freti, vi armata effigere nequiuierant, astuvulpino præstitit, factaque singulis præfectis vniæ spe vniuersos ad suas partes paulatim pertraxit: & cùm Consaluuus Francisco Caruaiale, homine crudelitatibus infami, & Ioanne Acosta, ducibus præliū infelicibus auspiciis ad Xaquixaquam commisisset, à milite deseritus, in præsidis manus cum suis ducibus, qui soli in exercitu, remanserant, captiuus deuenit, à quo paulo post

post & ipse & cuncti illi, tanquam perduelles, extremo suppli-
cio affecti sunt. Inde Gasca post publicatas nuper à Cæsare
conditas leges, aliāq; ad leuamentum Indorum iuste cōsti-
tuta, è prouincia discessit, magnāq; auri vi in paueis imposi-
ta in Hispaniā reuersus est, haud multò priuatim ditior, aut
maiore comitatu quām venerat: qui ppe cūm idem pallium,
quod Hispaniā extulerat, sed vſu detritū ex Indiis retulisset,
tōque rebus tā breui tempore gestis, tantōque æri pondere
in ærariū illato, nihil propterea de cultu corporis & pristina
moderatione mutasse magna cū omniū admiratione cōspi-
ceretur. Ita Hispanorū sanguine auri sitis Hispanica restin-
cta est. Infelicissimi verò hominū mutuis lanienis viginti an-
norū spatio se confecerunt, indigenis auaritiā & libidinē vi-
ctoris luentib. Tāto auro & cruore religionis Hispаниcę co-
gnitio miseris Indis cōstitit! Sed verendū est, ne ea rerū mu-
tatio, nō ex præscripto Dei, qui suos nō ferro & rapinis gra-
fari, sed piis admonitionib. & Charitatis officiis cum extra-
neis versari voluit, apud Indos instituta, cūm non propter
Christum inceperit, neq; Christi gloriam pro fine respexe-
rit, ut sunt principia, luctuosum exitum olim sit habitura.

Cæsar, tū à Pontifice, tum ab aliis impulsus, de reb. Germani-
cis noua consilia capiens, manū opeii admouere decreuit,
primū arte multiplici, deinde Marte aperto. Anno 1544. post
multas disceptationes in Comitiis Spirensib. constitutū est,
Cæsar daret operam, vt ex sentētia piorum & doctorum vi-
torū ratio iniretur de emēdando Ecclesiæ statu, cuius emen-
dationis formula perscriberetur: ipsi vicissim principes idem
facerēt, quo proximis Comitiis facta vtriusq; collatione de
comuni consensu ad Dei gloriā aliquid statueretur, quod in
posterū eo vſq; obseruaretur, donec publicū & liberū Con-
ciliū in Germania peragēdum, aut saltē nationis Germanicę
conuentus celebrari possit: interea pacem iater se colerent
omnes, nulliq; inotus religionis ergo excitētum ecclesiastici
cætus, vtram- vtram religionē prohiteantur, facultates vtro-
biq; suas obtineant; ex iisq; ministris, scholis, & egenis, quā-
tum sat erit, erogetur. Jam de Camera Spirensi sæpius a-
ctum fuerat, Protestantibus odio religionis malè ab infestis
& suspectis iudicibus se haberi querentibus. Itaque decernē-
tur, vt iudices tunc ordinati vſque ad præfinitum quidem
tempus in suo loco remanerēt: cū verò id exliſſet, tunc in
eū confessum admitterētur omnes promiscuè nullo religio-
nis discrimine. Protestantes hoc à Cæsare impetrato decre-
to, cū in bellum Gallicum & Turcicū auxilia omnia quæ

petebantur libentissimè commodaſſent, votū vt ſibi videbātur compotes, læti ac ſecuri degebant. Verum Cæſar pacem mox cum Gallis confirmata, & bellī Turcici metu ſolutus, quod interuentu Francisci regis, qui ea de cauſa Monſu- cium Constantinopolin miferat, inducias facilē impetrare ſperaret, omnem curam in bellum Germanicum intendit, rebūſque in Belgio ordinatis, Vormatiæ Vangionum imperij ordines conuocat. Mōrbo præpeditus per Ferdinandum fratrem & alios delectos agit, Comitiorum Spirenſium decretum aboleri petit, Tridentini Concilij conſtitutiones nōdum conflatas in religionis negotio commendat, & pecuniam multam in bellum Turcicum numerati poſtulat.

Adea protestantes ſcripto responderunt mirari ſe, quomo- do cum religionis cauſa conuenierint, vt iuxta Spirenſe decretum de ea ſtatuantur, totū negotium ad Concilium Tri- dentinum Cæſar remitti velit, quod ipſi vt minimè legitimum & liberum probare iam ſæpius profelli ſant: prius ergo eſſe, antequam de bello Turcico agatur, vt concordiaꝝ inter eos ſanciendæ ineatur ratio: fruſtra enim, diſſidentibus ob reli- gionem animis, de bello cōmunib⁹ ſumptibus ſuſcipiendo deliberati: quorūdum enim hoc turbulentio rerum ſtatu bellū fuſcipi, niſi vt Germaniq⁹ & Italiq⁹ vires atterantur nullo pro- fectu: prius pacem domi ſtabilicadā eſſe, quam ad bellū ex- ternum proficisci: Principes: nec dubitandū, rebus domi pacatis, ac cōſcientiā primis, quin alacrius inulto in Turcā ſint ituri, & alacritatā Deo proſperante felix fauſtūſque ſecuturus ſit exitus. Interea Spirenſi decreto ſtetur, nec cui- quam propter religionem creetur periculum: camera et- iam Spirenſis ita ordinetur, vt cuique ius a minimè ſuſpectis iudicibus æquabile reddatur. Variis machinis Pontificij o- mnium ordinum hanc principum protestantium conſtan- tiam concutere conati ſunt: & quorūdam malis artibus Cæſaris beneuolus in Germaniam animus tandem euerſus eſt: Quoniam enī quidam ex principibus iuſtificet, vt decreto plenari ſtareretur, granuellanus ingenuè cōſeſſus eſt, illud tēpo- ri fuſſe accommodatum, quo facilitis Cæſar auxilia à Ger- manis contra gallum impetraret, & ne gallus in Germania militem poſſet cōſcribere impediret. Ut paucis omnia, Pro- testantibus Spirenſe decretum, Norimbergæ primò ſan- tum, & Ratisbonæ confirmatum; virginibus, Cæſare vero in ferentia permanente, vt Tridentino Concilio religionis negotium poſſe permitteretur, palam ad arma ventum eſt, paulo post Lutheri placida & pia morte ſublati obitum; anno 1546:

Quum

Quum autem Protestantes viderent perduellionis metu
(nam id vnum vrgebat Cæsar) plerosque etiam ex Prote-
stantibus sensim ab ipsis alienari, & aut domi sedere, aut, si
non liceret, Cæsarem sequi malle, scripto edito demonstra-
runt religionem & confessionis Augustanæ socios peti, fal-
sò de rebellione querelas institui, nec magis verè dici, hoc
bello de Republica constituenda agi, quæ nulla omnino sit,
h, quod libertatis Germanicæ hostes moliantur, obtineant.
Si enim, aiebant, ferro restinduntur, quæ communibus Co-
mitiorum suffragiis secundum imperij leges decreta sunt, si
vnius voluntate tot principum, & liberaru[m] ciuitatum sen-
tentiæ euertuntur, si libidini paucorum publica salus com-
mittitur, quæ Reipublicæ constituendæ ratio, quæ salus, quæ
tranquillitas sperati potest: atqui hoc agitur impulsu Romani Pontificis; qui iam fascinatis omnium Christianorum
Principum mentibus, ne quid sit quod immoderato suo im-
perio resistat, libertatem Germanicæ oppugnare constituit;
& cum religionis caussa liberè & pacifice tractari debeat,
nim & turbas adhibet, quo tam bonum opus ex ipsis arbitrio conficiatur, sive minus, interrumptur omnino. Nam,
mod ad concilium attinet, quo controversias de religione
ixidi oportuit, id ipsum non abnuere, quicquid in contra-
sum iactetur, modū liberum sit, & vt liberum sit in Germa-
nia habeatur: id semper præ se tulisse, testēsque eius rei lite-
nas esse & scripta ab ipsis euulgata; sed hactenq[ue] libertatem
in eo desideratam fuisse, vt ex verbo Dei, citra metum & af-
flictionem caussa disceptaretur. scite omnes, quid Concil-
io Cōstantiensi decretum sit, de fide publica: Ioannis Hussi
& Hieronymi Pragensis exemplo multos meritò deterrei,
sed præcipue recenti Ioannis Diazij parricidio: de quo cùm
apud Cæsarem expostulatū esset in Comitiis, nihil obtineri
potuerit, impunitoq[ue] tanto scelere effici, vt omnia tuta Pro-
testates timeant, quippe cùlsciant Pontifici otium attibus fa-
tū esse vt inultum flagitiū magno reip. Germanicæ pudore
& probro remanserit: frustra ergo obtēdi Conciliij repudia-
tionē, vt iusta causa armis prætexatur: plam religionē peti,
quam ex fœdere tueti teneantur: nam id ipsis per Spirensē
decretum licere. Alia multa subiiciebant Principes de pri-
vatis dissidiis & similitatibus, quæ vt leuiora omittimus.

Cæsar & Pontifex, quum per legatos de bello Protestan-
tibus inferendo deliberaissent, & utrinq[ue] parata omnia ad cō-
flictum videbantur, publico diplomate Cæsar Saxonē & Hes-
sium proscriptis XIII. Cal. Sextil. Huic cōtrario scripto respon-

dent proscripti, eodem anno 1546. Post varia autem consilia & quasdam belli velitationes, Protestantum exercitus paulatim dissipatus est, ob mutationes in Saxonia Mauricio duci concessa. Sequuntur suæ Principum quorundam & ciuitatum fœderatarum cum Cæsare reconciliationes, & in Italia turbæ Gesuenses ac Neapolitanæ, tandem pro Cæsaris voto compositæ : Anno 1547. bellum Germanicum, superiori affectum, omnino confectum est. Quum anteà Palatinum Cæsar ad suas partes pertraxisset, Vtricum Wirtembergicum à fœderatis disiunxit, & Sueviæ ciuitates supplices recepit in gratiam. Harum legati antequam admitterentur, de religione sibi caueri à Cæsare postulauerant : nam in ea adhuc dissimulatione perfstabat Cæsar, eo bello religionis causam non agi, ad hoc per Nauium, quo præcipue ministro vtebatur Cæsar, responsum est, satis constare ipsis de Cæsaris voluntate: si instantius vrgerent, id diffidentiæ tributum iri, eoque irritari posse eius animum, cuius clemenciam implorarent. Id eò factum est, ne li petentibus omnino denegaretur, aliud agi palam esset, quam quod scripto ipse promiserat, si concederetur in Pontificis offenditionem incurreret, qui pro religione suscepturn bellum passim per ministros suos prædicabat. Quum autem mense Februario & Martio, Saxo, Septemuir aduersus Albertum Brandenburgicum, Mauritij partes armis tacentem, feliciter pugnasset, & captiuum sub custodia Gotham amandasset, Elector Brandenburgicus, pacis patriæ studiosus, omnem mouerat lapidem, vt Hessus, Mauritij sacer, Cæsari & Ferdinando reconciliaretur. Sed cum iniquiores conditiones proponebantur, quam ut in eas princeps genitosus & summae inter suos existimationis consentire posset, quamvis potius fortunam sibi subeundam duxit, quam ut quidquam indignum se & nomine Germanico admitteret. Itaq. datis ad amicos litteris, inimicorum calumnias, quibus eum in Germania bellum alere & pacem detrectare criminabatur, prolixè refellit. Saxonis vxor Sibylla, Vilelmi Clivix ducis soror, fratre per litteras obsecrauerat, vt in Cæsaris castra veniret, & pro marito intercederet apud eum, nec ille detrectauit, multisque precibus & rationibus contendit à Cæsare, vt praeteritorum gratiam Saxoni faceret, nec ultra cum armis persequeretur. Sed cum à Cæsare responsum acerbius spe sua tulisset, non prius de venia Saxoni impetranda deliberatum iri quam ipse supplex se & sua omnia Cæsaris arbitrio permisisset: de voluntate Cæsaris forore certiore facta, domū se cœkulit. Id rurus

sus c' m ex vxore resciuisset Saxo, nec vllam reconciliationis spē supetesse cerneret, veritus ne Brandenburgici Septemviri defectione, vel exemplo(nam ad Cæsaris partes trausierat) in suæ ditionis terris trans Album noui motus excitarentur, sibi transendum flumen quam primum existimauit.

Cæsar, qui cerneret Saxonis exercitum copiis in dies augeri, suos autē in hostico minui, anni tempore valde aduerso, quia ferè consumpta passum viatica erant; adhuc timeret, ne si diutius cunctaretur, à Neapolitanis & Florentinis exulibus noui motus per absentiam suam in Italia excitarētur, præuertendum sibi & quam primum, si Saxonem adseri posset, prælio decertandum statuit, & paulò post belli ducibus Hispanis contrarium suadentibus, in proposito mansit, ac fluminis inter exercitus præterfluentis vado transmisso & per nauiculas Germanis ereptas ponte facto exercitum intrepidus in Saxonem ducit, qui Wittebergam lenito passu petebat. Cæsar oratione planè militari suos hor-tatus Saxonem Mulberga progressum ad Lochanam siluam adsequitur. Pugnam Saxo minimè detrectans, nullum generosi strenuique ducis officium prætermisit. A mediadie ad Solis occasum, 24. Aprilis A. 1547. pugnatum est. Saxo annos tunc natus 44. pulso equitatu & peditatu, dum acriter & parua manu pro patria suaque salute dimicat, per suistram maxillam vulnere accepto, destitutus à suis & e quo fatigente, captus non procul a Mulberga ad Cæsarem deductus est. Undante verò per faciem sanguine ex vulneri pugna accepto, in conspectum Cæsaris adductus chirothecam exuere, vt more gentis manum victoris contingeret, & ex equo descēdere voluit: quod cum renueret Cæsar, Quando illa res tulit (inquit Saxo) ecce metibi, clementissime & potentissime Cæsar captiuum sisto. Dictum plura interfatus Cæsar, Ergo eti nunc ego Cæsar, quem nuper in sermonibus vestris & publicis etiam scriptis modò Carolum Gandensem, modò se pro Cæsare gerentem vocabatis? Cum ille pergeret, & ut se captiuum pro dignitate haberet constanti vultu rogaret, Cæsar nihil aliud respondit, quam se pro merito illum accepturum, aspernātique similis obuerso tergo discessit. v. die Maij Cæsar Wittebergam obsedit, que Ioannis Friderici captiui volūtate & iussu Cæsari portas aperuit; Maij die 23. Ciues Mauricio duci cui Electoratus dignitas & ditio à Cæsare data fuerat, homagium iuramento confirmant. xix. Iunij Philippus Hassiac Landgravius Cæsari supplex factus Halæ

Saxonum, in custodia præter suam & amicorum opinionem artibus quorundam syllabas aucupantium in custodia detinetur. Quæ res tandem Cæsari fuit exitio. Hermannus archiepiscopus Coloniensis elector iussu Pontificis & Cæsaris loco mouetur. Multantur etiam variis modis Boiemis, ob fœdus cum Saxone captiuo iustum. Auguste autem Cæsar armata comitia celebrauit sub finem Octobris: ut terror imperij Ordinibus incuteret. Præcipuum Cæsaris postulatum fuit, ut Principes omnes Concilio Tridentino se subiicerent. Mense Ianuario Henricus VIII. Angliae R. Martij ultima die Franciscus I. Galliae Rex obierant: ideo Cæsar importu tunc nauigare existimatus est, potentia suæ æmulis oppressis. Subacta enim germania, nihil superesse videbatur quod Cæsari facesse posset negotium. Electoris Saxonici dignitas publico. & solenni titu duci Saxoniae Mauricio collata est à Cæsare 24. Februarij 1548. cum eo die Cæsar inchoaret annum ætatis 49. Mauricius verò mense sequenti annum 28.

Pontifex germaniam sedi Romanæ restitutam putans, per emissarios quosdam librū cudi curat, in quo de religione ad Concilij finem seruanda agitur. Monstrum illud nascitur in Comitiis Augustanis, & promulgatur 15. Maij, nempe liber *Interim*, seu formula Religionis, usque ad Concilij finem seruanda. Eius sententiam Theologi multi refutarunt. Inde bellum Adiaphoristicum inter Ecclesiarum rectores, natum ex deliberationibus, an & quomodo liber Interimisticus admittendus esset vel repudiandus. Dum illi rixantur, & nonnulli solum vertunt, Constantiam urbem Helvetiæ vicinam Austriaca domus sibi subiicit, & in Magdeburgenses à Cæsare proscriptos belli moles vertitur. Vrbis obsidio cœpta 4. die Octobris 1550. quæ XIII. mēs. durauit. Quoniam verò Cæsar de germania sub pontificis iugum reducenda, Principibus item & Ordinibus imperij ad seruitutem deducendis cogitare videbatur: nec de captiuis liberandis caperet consilium, Mauricius, obsidionis Magdeburgensis caput, occultè bellum contra Cæsarem coquere cœpit.

Res autem ita gesta est. Compositis rebus Saxoniciis, de Socero suo liberando Mauricius Elector curam seriò suscepit. Cum enim, Cæsarem saepius, tum per legatos & literas, tum coram ea de cauſâ fruſtra compellasset, ac eundem in germania non secus ac in prouincia aliqua bello occupata prohibitu suo agere omnia, nec promissis quibus sibi & alijs Principibus receperat se religionem ipsis integrum reliqui-

rum state videret, insuper etiam à Ferdinando rege Romanorum ac Maximiliano filio peteretur, ne dignitatem & ius successionis in Imperio, quod ad eum legitima Septemvirorum electione delatum esset, suo suffragio ad Philippū Hispanum Cæsar is filium transferri pateretur, iam tuū cōsilia belli aduersus Cæsarem suscipiendi, & vi Landgrauium eripiendi Mauricius constituit. Magis autem eum stimulabat cogitatio de tyrannidis Hispanicæ detestatione, quam Cæsar à Pontifice, Albano, nonnullisque alijs in transuersum raptus, in liberum Germaniæ Imperium, ac Principes orthodoxæ doctrinæ addictos exerceret, occasio quoque accessit de novo fœdere, cum Galliæ rege ineūdo. Itaque principib. ad se vocatis, cum illis de rebus agendi communicat. Ne quid autem præcipitanter fieret, Mauricius & Brandenburgicus denuo legatos ad Cæsarem pro liberatione Landgravij, Augustam mittunt, cum literis Ferdinandi, Alberti Bavaric., Daniæ regis, Friderici Palatini & aliorum, quas suis adiungunt. Legatis, qui per quadraginta dies Augustæ desedebant, ac Cæsarem discedente in Oenipontem usque fuerant sequuti, dubium responsum referentibus, Mauricius princeps intercessores & se tantummodo ludificari sentiens, nec micquam pacatis rationibus à Pontifice, & Hispanis Cæsarem possidentibus, impetrari posse, fidem bono publico datum liberare, & vi vim tantum repellere decreuit. Dum hæc aguntur, Concilium Tridentinum decreta quædam de sacramentis promulgat, brutis fulminibus Germaniam laces sens. At Mauricius è conuentu Torgensi in castra culienni Hassi profectus, cum eo Augustam celeriter contendit, quibus Ioannes Albertus Dux Megalopolitanus cum aliquot turmis equitum in itinere occurrens se adiungit. Cum Augustam occupassent, & ad pristinum administrationis publicæ statum reduxissent, circa Aprilis initium, Vlmenium agrum diripiunt. In aditu denique Alpium Rheticarum superatis & occupatis Erenbergi montis angustijs, tantum Cæsari metum incutiunt, vt noctu accensis funeralibus, vnā cum fratre Ferdinando Oeniponte oppido relicto, fugienti similis, se Villacum, Carinthiæ oppidum reciperet. Circa finem Iulij in conuentu Passauensi, cui omnium fere Germaniæ Principum legati interfuerunt, arbitrio regis Ferdinandi, & fide atq; autoritate Mauricij liberatus est Philippus Hassiæ Landgrauius, & Otho Henricus Palatinus restitutus. Dimissus etiam è custodia Ioannes Fridericus Saxoniæ Dux & Elector, capti⁹us.

Post confirmatam Passauij pacem Cesar è Carinthia Oe-
nipontem, inde Augustam reuersus, & si Republicæ forma,
ante quadriennium à se constitutam retineri maluisset, ta-
men religionis publicum exercitium ad Augustanæ confes-
sionis præscriptum Imperij ciuibus liberum, & Ecclesiarum
ministros ex Imperij fioib. proscriptos reuocari permisit. Ita
veluti momēto procella illa Hispanica toti Germaniæ im-
minēs euanuit, & pax inuitis Satanæ squamis, etiamnū per-
durante, Imperio Germanico restituta fuit, Cæsare alias cu-
ras induente. Interimisticus libet exacto quadriennio exspi-
ravit. Dū autem Mauricius feliciter pugnat cōtra Turcas, Al-
bertus Braudeburgicus infelicib. armis vexat Franconiam &
Noriburgenses. Circa anni finem Cæsar Metim, à Gallis oc-
cupatā obsidet irrito conatu, amissā meliori copiarum sua-
rum parte. Hic terminus fuit expeditionum Cæsaris. Mauri-
cius anno 1553. cūm Alberti exercitum cruento prælio dele-
uisset, tamen lethali vulnere percussus intra triduum exspi-
ravit, Augusto fratri Electoratum Saxonię relinquens. Is cō-
uenit cūm Alberto, qui circa initium anni 1557 exul & miser
mortuus est. Eduardus Angliæ rege, annos sedecim nato, ma-
lis artib de vita sublato, Mariae sororis, nouę regię, nuptias
ambiuit Philippus Cæsaris filius. Graues in Anglia pro reli-
gione persecutions, & paulò post Mariæ excessus, atq; Phi-
lliippi dimissio. Resignato tādē Septemuiris Imperio, omniū-
que regnorū & Belgicarum prouinciarū gubernatione Phi-
lippo filio tradita, Carolus reliquum vitæ spatiū in exerci-
tiis spiritualibus consumere, & se ad mortis aduentū prepa-
rare decreuit. Exeunte igitur anno 1556. cūm Leonora &
Maria sororibus in Hispaniam nauigans, monasterium Iu-
sti, in Bæticę, Castellę & Lusitanię finibus, sedem sibi de-
legit reliquæ vitæ, quam placide clausit anno 1555.

In eo Principe fortuna cum virtute certauit, vt illius reb.
gestis humanæ felicitati fastigiū aliquod imponeret. Neq;
vllū perfecti magis & ad omnēm viitutem expressi principis
exemplar nostra & retro seculorū memoria repetiti posse viri
prudētes existimāt, quod iis qui ad imperiū virtutis via gra-
fantur, ad imitādū propensi queat. Nihil ei (inquiūt) ad tum-
mā utriusq; laudem defuit, siue sagacitatē spectes in cōsilijs,
siue in aduersis constantiam, moderationem in prosperis, in
periculis animi præsentiam, temperantiā iuslitiam. A primis
pueritiae annis vita eius ferè seria fuit, maximis negotiis &
variis expeditionib. exercitata, atque in ipso, multū pietatis
studium fuisse, postquam ad imperium euellus est, illi affir-
mant:

mant: eóque omnia fermè quę Carolus bello & pace fecit, referti debere: dimiditum, vt Concilium legitimū celebraretur, & per illud concordia in Ecclesia sarciretur: quod siue Pontificum in eo negotio nos bona fide versantium, sed negotia sua procurantum, ambitione, siue ob varia bella tot locis & temporibus cunctu variò renouata, fuit impeditum, semper ab eo postea repetitum est: ut mirari nemo debeat, illius consilia, dicta, facta, præsenti Numinis auxilio usque illustrata fuisse, qui tam Sanctum propositum habuit. Quoties verò Pontificum postularis aures prebuit, & passus est se à legitimi Concilij procuratione distrahi, consilia bellicæ parum feliciter ei cesserent. Tandem callidis & crudelibus persuasib; euersus, dum piorum hominum, religionis caussā in Belgio, Germania ipsa, Insubria & Anglia lapidiam permittit, de throno illo gloriæ quod sibi prudentia, dementia, fortitudine multiplici coram hominibus erexit, sensim est deiectus. Improbatae sunt etiam illæ artes, quę in Galliæ transitu, cùm ad Gandegauensium motus compendios properaret, & in belli contra Germaniæ libertatem initijs ac progressu, sunt adhibitæ. Authores autem in placide mortis Caroli descriptione consentiunt. Natus est Gantui in Flandria, Februarij die 24. anno 1500. ex patre Philippo I. Austriae archiduce & matre Ioanna Ferdinādi Altgoniæ R. atq; Isabellæ Castellæ R filia. Ineunte anno 1526. Elizabetā Emanuelis Lusitaniæ regis filiā uxori duxit, ex qua suscepit Philippū, Ferdinandū (qui puer mortuus est) Mariam (Maximiliani II. cōiugē) & Ioannā, quę Ioāni Lusitanorum Principi nupsit, ex qua natus Sebastianus Posthumus, qui anno in regnū succedit. Ante matrimoniu ex cōtubernio suscepit Margaritā, quę Alexādro Medici primū, dein Octauio Farnesio Parmensiū duci nupsit: & cùm uxori anno 1539 amissit, postremo Ioannē quoq. Austriae ex muliere Ratisponensi quoq. suscepit, qua in re tanta verecundia usus est, ut nisi à penitissimis matris Margaritæ nomen cognosceretur: de Ioanne verò nunquam, nisi paucis ante mortem diebus loquutus est. cū per amicos cū Philippo filio cōmendauit.

Vitam Caroli v. priuatam alij prolixè, alij paucis cōplexi sunt. Ex iis sequentia lectu non iniucunda descriptimus. Naturæ vis in eo miranda fuit, vt sagacissimo cōsilio superaret. Ingenium graue, circumspectum, idcōq. cunctantius: & tamen ubi tuēdæ dignitatis decus aut necessitas postulabat, expeditū, acre & flagrans erat. Consultationes de reb. gravissimis non ex alienis cogitationibus, sed propriis, senili maturitate exquisitas & elaboratas, præsestibus negotiis

& temporibus aptè accommodabat. Ac sæpe mirati sunt sapientes Carolum cum uno & altero tam magnarum rerum consilia & animo capere potuisse, & tantisper occultasse, dum rerum agendarum tempus adesset. Animi invicti magnitudo & firmitas, cum amore iustitiae, æquitatis & moderationis singulari coniuncta fuit. In periculis impavidus & mortis contemptor fuit, adeo ut in castris sæpe, & in ipso iuuentutis flore, recitatis Apostoli verbis ostenderet, se alterius vitæ & consuetudinis cum Christo beatæ cupidum esse. Eandem in rebus secundis & aduersis vultus constantiam & tranquillitatem retinuit, ut in eodem cubiculo quotidie cum ipso versantes, nunquam læta vel tristia ad Carolum allata ex eius vultu deprehendere possent. Cum de Mediolanensi ducatu, desertus à sociis, & ab omnibus oppugnatus, certaret, nullis aduersiorum conditionibus aut minis adduci potuit, in dubia spererum statu versante, ut ditione illa se Francisco Sforzæ cæsurum polliceretur, ne quid augusta sua maiestate indignu, metu aut necessitate impulsus fecisse videretur. Postea verò aduersariis fortiter superatis, & ingentibus partis victoriis, Sforzam supplicem in gratiam recepit, eique Mediolanensem ducatum, quem totum, multis regnis opulentiores, in sua potestate Carolus habebat, attribuit: nec pecuniæ tributum amplius quam ante postremum bellum petierat, imposuit. In aggrediendis rebus, & bellis præcipue suscipiendis, ubi celeritatem necessaria defensio non flagitabat, admodum circumspectus, cautus & cunctator; at semel inchoatis & susceptis planè sparsus, industrius, laboriosus & efficax apparebat. In germanico aduersus Protestantes principes & Imperij Ordines bello, ad quod Pontificum technis ab anno 1520. affluebat incitatus est, id ostendit. Nam bellum illud 25 annos dilatum, tandem non religionem, sed regionum ac reddituum alienorum occupationes prætexens, acriter & strenue prosecutus est. Naturæ grauis & severus, mixta tamen comitate & serenitate quādā vultus, sed à risu alienior fuit: nec quidquam ab eius ore nisi graue & insigni sobrietate definitum, ac sapientiæ sale conditum excidebat.

Per gallias in Belgium proficiens, Pariensi cuidam Oratori prolixa oratione exquisitas omnium virtutum summi Imperatoris laudes citabuerunt, ac Carolum supra cælos effarenti, breuiter respondit, gratiam sibi esse regis affinis & Francorum erga se benevolentiam, sed laudes illas eò pertinere dicebat, ut communem facerent, Qualis esse debet,

beret. Nonnullis belli dueibus Julij Cæsarī & Alexandri facta magis facientibus, nec vti Carolū tot victoriis ad potentiae & magnitudinis suę incrementum, quantum posset, quærentibus respondit, **Ethnicis** illis Principibus in bellis gerendis vnum fuisse finem, honorem & gloriam: Christianis autem duplē esse propositum, gloriam Dei, & animalium salutem. Legatum Venetum quidam detulerat, quod Cæsarī tarditatem culparerat. Ille vero nunquam mundum à bellis quieturum & respiraturum esse dixit, si ea celeritate quam res & causæ plærunque postulant, bella statim moueret. Cùm de Principe quodam bellum moturo audiret, ignorat adhuc, inquit, quid ad bellum requiratur. Ipse in comparando exercitu se caput sumere ab Italī, brachia & manus ab Hispanis, pectus à Germanis (quorum fidem & robur maximè probabat) ventrem & pedes ex reliqua gentium collouie dicebat, neruos belli esse pecuniam, commeatus, milites: verū si ex iis aliquo carendum esset, militem veteranum se electurum esse, cuius industria & fortitudine, reliqua duo se ex hoste comparaturum consideret. Oenipontem accedente cum exercitu Mauricio Saxone, cum quo Carolus eo loco & tempore manus conferere nollet, Hispanus quidam militum tribunus nullum periculum fore ostendit, quod Ereinberga arx munitissima, fauces Alpium claudens, in eō itinere obiecta esset Mauricio. Quærit ab eo Cæsar, num circuitu quopiam ad montis illius, cui arx insisteret, verticem posset quis peruenire? Hispanus tantum in Germanis ingenij & patientiæ esse negavit, vt tot pericula superare possent. Igo verò ait Carolus, si aliquis ad arcem patet aditus, iam illam à Germanis occupatam esse arbitror. Coniecturæ veritatem captæ arcis nuncius comprobauit.

Multa etiam *egregiā* & aculeatiora ipsius dicta fuerunt. Gallico legato post Francisci Sfortiæ obitum, Mediolanensem ditionem regis sui nomine poscenti, respondit, Bene res habet: mihi idem placet quod fratri meo, Caroli assensum se habere putans legatus, paulò post, non sine risu, spe deiectus & dimissus est. In Anglia cùm nobilissimum iuuenem, sententiâ Cardinalis Eboracensis, qui iudiciis præterat, capite multatum esse audiret: Indignum est, inquit, à lanij canepulchram illam damam deuotari. nam Cardinalis Eboracensis, vir arrogantissimus, lanij filius erat. In Comitiis Ratisponensibus, cùm multi Germaniæ princi-

pes produce Juliacēsi, Geldriam retainente, apud eum intercederent, dixit, se iam tot annis conuentus de summis Reipublicæ negotiis in Germania egisse, neq; vñquam tot principes ad vllam publicam deliberationem cogere potuisse: nunc causam nocti aduersum me magno numero conuenistis. Hispanis quibusdam aulicis aliquando potentibus, vt Germanos satellites dimitteret, idque sine modo vrgētibus, conuocari Germanos iubet, his vultu ad seueritatem compito indicat, Hispanicam petitionem, & subiicit, venire, sequimini me Germanum: aula excedamus, ne istis deinceps simus molesti. Germani satellites exeuntem alacres comitantur. Hispanis autem ad eius pedes aduolutis, ac vt maneret, & stultis parceret, suppliciter petētibus, restitit atque ignouit. Cūm de imperio deponendo deliberantem, consiliarij hortarentur, vt peralios administraret regni negotia, ipse nomen retineret & auctoritatem. Ah, dixit, me prēsente ita res administratis, vt omnes de vobis conquerantur, quid fieret si consiliis & rebus gerendis ipse non interessem? Monitus aliquādo in castris, vt leges Germanis militibus de vitanda ebrietate ferret, respondit, id perinde futurum, ac si Hispanos à furtis retrahere conaretur. In castris ad Witebergam, cūm de Hispanorū crudelitate & libidinibus enormia quædam ipsi significantur: Profecto, inquit, si quod aliquando mihi accidet ingens infortunium, propter istorum nebulonum scelera accidet. In postremo ex Germania discessu, Vlissingæ ventos navigationi idoneos expectans, & in multam noctem cum Seldio Ferdinandi fratri legato collocutus, quoniam ex familia, in atrio partim dilapsa, partim dormiente, dato nolā signo, nullus appareret, Carolus ipse lychnum Seldio quantumvis recusanti præfert, eique per gradus deducto, Hoc tibi monumentū, ait, Cæsaris illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitibus & excubiis quondam stipati, quem nunc solum, & à familia etiam descitum vides, & cui tu tot annos seruisti: Is nunc tibi etiam inseruit & accesso lychno præluxit. Seldio præterea dixit, se in hac mutatione suæ fortunæ agnoscere Dei potentiam, cui nequaquam repugnare velit.

Toto vita curriculo delectatus est virtutum heroicarum imaginibus, a Sole, Luna & motibus siderum desumptis. Ut Sol, inquietabat, in summo fastigio vectus tardissime mouetur, nec aliis inopi quam locupleti splendet: sic Austriacos principes, in summum Imperij fastigium cœctos, non precipitare consilia, sed circumspetè & cunctanter agere, nec

non

non iustitiae ac clementiae suae radios summis ac infimis pa-
riter comunicare decet. Sicut deliquia solis futuras muta-
tiones & calamitates publicas portendunt : sic principū le-
ues errores, in rebus humanis graues perturbationes pariū.
Quemadmodum Luna, quia terris propiore est, efficacius in
hoc elementari orbe vim suam excitat & exercet : ita Princi-
pum præsentia atque vicinitas plutimum in motibus belli-
cis & togata Republicæ administratione momenti habet.
Ut fulmen, cera & lana illæsa, æs & ferrum liquefacit: sic re-
gum potentia formidabilis supplicibus patens, cædit ster-
nitque rebelles. Sicut Lunæ sidus singulis mensibus crescit
& decrescit, nec ver aut æstas est semper, sic perpetua vicissi-
tudine rerum humanarum consilia & actiones variantur, &
certam præfens vix habet hora fidem. Has similitudines
ærebus cœlestibus petitas, cum alioquin præcipuam ex a-
strorum & motus siderum contemplatione voluptatem ca-
peret, creberimè usurpabat, & colloquio frequenti cum A-
stronomiæ peritis & mathematum professoribus ma-
chinarumque variarum peritis architectis delectabatur. Hi-
storias autem, non Germanici tantum Imperij & Hispanici
regni, sed etiam veterum monarchiarum atque Rerumpu-
blicarum tractabat. Thucydidem gallica lingua conuersum,
& Philippum Cominæum inter recentiores versauit diurna
nocturnaque manu. De præceptis in utroque propositis cum
prudentibus viris qui ei à consiliis erant lepius contulit. In
togata administratione & aulico comitatu, ex singulis ipsius
regnis & prouinciis inferioribus quatuor eximiæ virtutis &
authoritatis delectos, duos familia equestri & totidē doctri-
na insigni nobiles, plerumque hæsiſſe intelleximus. His ne-
gotia ex singulis prouinciis in aulam delata, plimū deli-
beranda exhibuit. Deinde, si rerum grauitas exigeret, totius
aulici senatus de his consultatio instituebat, cui ipse cre-
bro præfens intererat, singulorum sententias attentè audiēs,
& quæ in utramque sententiam dici possent expendens. Ra-
tiō præsentibus consiliariis quid facto opus esset conclude-
bat, sed noctu plerumque sententiam suam scripto consi-
gnatam, Granuellano exequendam tradebat. In maximi mo-
menti negotiis, literis iussu suo conscriptis manu propria
quasdam lineas pingebat, & folium plicatum amanuensi-
bus obsignandum tradebat.

Interior etiam & domestica Caroli vita honestissimo-
rum exemplorum, pietatis, temperantiae, frugalitatis, con-

tinentiæ comitata fuit. Nunquam iurare auditus est, nisi cū regnis inaugurate^r aut fœdera inita confirmaret. Mane priusquam vestiretur, longa talari, subuculæ iniecta, genibus incumbens orabat. Cubiculariis deinde admissis, preces legebat. Postea negotia tractabat publica: sacris dein vacabat: inde rectâ ad mensam, in qua semper ferè solus & tacitus sedens conuiua sua sine conuiua, moderata & frugalia, in publico ferè, ut omnibus ea spectare licet, peragebat. Sublata mensa, cunctis omnium ordinum, infimæ etiam sortis, hominibus, eum adire, alloqui, & supplices libellos exhibere licebat. Ab ebrietate, crapula, conuiuiorum & vestium luxu, cæterisque voluptatibus, non minus in adolescentia quam virili & senili ætate, fuit semper alienissimus. Mediolanum anno 1541. cùm aduentaret, fœminis nobilibus & plebe curiosa variegatam auro trabeam, geminis fulgentem in Cæsar's capite coronam exspectantibus, ipse atra in lanea veste, vilique pilculo, vultu graui, subtristi, & ad severitatem composito, urbem illam quæ per tot annos ipsius arma victoriaque experta & admirata fuerat, ingressus est. A tyrannico fastu, contemptione & despiciētia inferiorum adeò alienus fuit, ut captiuo etiam Principi Joanni Friderico, quoties eum præteriuit, honorem aperto capite deferret. Adulteria & libidinum turpitudines toto pectore est execratus: cùmque in bello Germanico Faroësium pontificiarum copiarum ducem ingenuas aliquot matresfamilias per vim stuprasse intellexisset, ingenti zelo exardescens prehēso gladij capulo, Si (inquit) adessem impurus ille, manu mea eum confoderem. Nec vocem iracundiorem vñquam ex Carolo auditam ferunt, qui statim Faroësium ex castris quem bellum nondum consecuto ad Brentam fluuium hærebāt, discedere & in Italiam redire iussit. Carolo per Galliam iter facienti, & ubi que locorum iussu regis splendide excepto, in arce quadam formosissima virgo nobilis in cubiculum adducta fuit: quam gementem ac tremebundam circa vespeream inneniens interrogat quæ sit, & qua occasione illuc essem perducta, cùm verò ipsam inuitam ab inuitis parentibus auulsam esse cognosceret, intactam remisit, ac quadriennio post Galliam bello iterum aggressus arcem illam direi curauit. Ipse etiam fidem coniugalem, costante matrimonio cū Elizabeta Lusitanica, religiosè seruauit, familiam suam omnem præcipue charam habuit, paterna benignitate ac fide complexus est, improbis ac impuris aulicis ex illius contubernio exclusis. In largiendis eleemosynis, ad redimendos

ab hostibus captiuos, ad nosodochia, gerontotrophia, inopum puellarum matrimonia, ad exules bonis suis iniustè spoliatos clementer subleuandos liberalissimus sine vlla ostentatione apparuit. Praeclaræ vitæ pius & placidus respondit exitus. In monasterio Justi habuit Carolus postremo vitæ suæ biennio familiarem, qui à confessionibus ipsi fuerat, doctoré Cōstātinū, virū grauē, pium, eruditū, qui pro Christi nomine poitea fortiter mortem oppetiit. Is inter quotidiana & assidua precū & laudum diuinarum à Carolo suscepta exercitia, ad librorum diui Bernardi lectionem, citatis in consolatione sentētiis quibusdam insignibus, eum invitarat. Cum enim subinde Carolus peccata sua lamentās, miris modis torqueretur, Bernardi verba auro meliora ei recitauit, nempe hæc. Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtainere cælorum. Cæterum duplii iure illud obtainens Dominus meus, hereditate scilicet Patis, & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono iure mihi illud vendicās nō confundor. Item, Ante omnia fides querenda est, de qua legitur, fide mundans corda eorum. Crede ergo te Deo: nam sibi quidem ipsi & suis meritis fidere, non fidei, sed perfidiæ est. Et concione tertia de Annūciatione; Auditam fac mihi misericordiam tuam, quia in te speravi: neque enim oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis. Hæc verò hominis fiducia est, à se deficientis & inniteatis Domino suo. In primis verò auream illam in annunciatione beatæ Mariæ concessionem ipsi commendauit, in qua consilium de redemptione, mirando iustitiæ & misericordiæ tēperamento, in arcano diuinitatis cōsilio decretum exponit: ac inter cætera doctrinam de iustificatione peccatoris corā Deo tradit disertis verbis. Necesse est, inquit, primum omni i credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per Dei indulgentiam. Deinde, quod nihil prorsus habere queas boni operis, nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quod æternam vitam nullis potes operibus promereris, nisi gratis detur & illa. Quis enim potest facere mundū de immundo conceptū semine, nisi qui solus est mundus? Ideoque, si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: sed adde adhuc, vt & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus Sāctus, dicens, Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, Gratias iustificari hominem per fidem.

His diui **Bernā** di dictis se mirificè delectari & recreari **Carolus** ostendit. Itaq; cū ad lētā tabē acuta febris tādē accessisset, ab omni meritō & operū propiorū fiducia se auocare mētē, in vnicū redēptorē & seruatorē nostrū Iesū Christum dirigere, in eo vno & solo se omnē salutis suæ fiduciā collocare variis modis testatus est: & sūp̄to sacro viatico, In me manes, inquit, dulcissime Seruator, ego in te inaneā. Inter has voces discessit anno 1558. die 21. Septēbris. Cum eonascente omnes bonae artes etiam, litteræ ac linguae eruditæ renasci in Germania & florere in tota Europa cōp̄erāt quārū ope doctrinacælestis illustrata, sinceræ Theologiæ, mathematiū, artis Medicæ, rotiūsq; Philosophiæ studia restituata sūt. Floruit enim & (si vlla alia vñquam) abundauit Caroli artas viris Heroico ingenio præditis, in ecclesia, scholis, re-publica, toga, bellis, nauigationibus ad nouas terras, cōstituendisq; nouis imperiis. Deniq; in omnib; non solum quæ liberales vulgò vocantur artibus, sed mechanicis etiam, præstantissimos artifices, nullis veterū cedētes habuit: vt in gratiam renascentis veritatis cælestis omnia sua dona Deus veluti ad summum perducta tribuisse Caroli seculo videatur. Etsi autem Principū verè illustriū proprię virtutes exprimi à priuatis non possint: attamē heroicarū virtutū in magnis exēplis consideratio virtutis amorē & admirationē in animis accēdit, & studiū pietatis, assiduitatē & zelū in precibus, iustitiæ cultū, modestiā in rebus secūdis, sobrietatē, continētiā & similes virtutes, omnibus necessarias, singuli, iuuāte Deo, imitari possunt & debent. Ideo aut̄ Deus heroicos viros principes, excellēti virtute multis gentibus salutari instruit & ornat, vt alij præclaris exēplis cōfirmati Deū autorē & archetypū virtutū agnoscāt, nec nō exēplis ad imitationē excitētur, & Dei sapientiā, bonitatem, præsentiā in donis præstantiū Heroum, quæ sunt sapientiæ virtutisque cælestis radij, intuētes, Deum debita laude celebrare pergent.

F E R D I N A N D V S . I.

EX historicis nōnulla quæ ad Imperij Occidētalis dignitatē pertinēt præfationis loco adpingere libet. Imperiū ad Germanos olim translatum est ab Othonē primo, Henrici Aucupis filio, cuius in familia mansit usq; ad Ottōnē tertium, qui veritus ne imperiū à patre & auo in Germania firmatum ad Italos, veliterū ad Græcos transferretur, lege sanxit, licere solis Germanis Principib; eligere Cæsarē. Ut aut̄ ambitioni, factionib; & turbis obuiā iretur, ad Sexviros eligēdi potestas

cadem

eadem lege contracta est. Ij fuerūt Mogūtinus, Coloniensis, Treuirensis episcopi: Comes Palatinus Rheni, Dux Saxonię, & Marchio Brandenburgicus, quibus additus est Boemiam, qui tunc dux, nunc rex appellatur. Huic locus est, si quando accidit, ut cæteri in ferenda sententia paribus suffragiis inter se dissideant. Id vt facilius Otho impetraret, cum papa Gregorio quinto Saxone, sobrino suo quem post electum Romam Crescentium, & Joannem Græcum expulsum, in sedem restituerat, posteris æquè damnoſa ac ignominioſa pactio- ne tranſegit, ut qui rex Romanorum deinceps à Septembris crearetur, non prius Imperator & Augustus haberetur, quā eū Romanus Pontifex inauguraſſet. Ita Pontifex ille ab Imperatoribus, primū creari aut constitui solitus, arbitrium summi inter Christianos principatus constituendi ad se pa- latim pertraxit: quod circa Christi annum 997. accidisse fer- tar, postea Carolus IV. eandem legem renouauit sub nomine bullæ aureæ, in Comitiis Norimbergensibus v. Id. Jan. 1356. publicatæ, quæ & hodie inter Germanos magna religione seruatur. Is suo periculo, quamvis serò, sensit quorū perti- geret ius illud, quod sibi in inaugurandi Imperatoribus R. Pontifex sumpsit, nempe vt liceret ei, à quo accipere debuit, leges quas vellet pro inaugurationis pretio imponere. Si qui- dem Innocentius VI. nō aliter coronam per legatos ipsi im- ponni passus est, quam ille iure iurando se obſtrinxisset, Ro- mæ aut in Italia iniussu Pontificis non moraturum, vt non immerito Franciscus Petrarcha, qui tunc temporis floruit, indignabundo animo sit miratus, quānā ista superbia es- set, principem Romanum, publicæ libertatis auctorem, li- bertate priuare: vt cuius esse debent omnia, ipse nō sit suus.

Imperium autem, quod vocant, in tria omnino membra diuiditur. Omnium caput & princeps est Imperator, qui tria sub se membra respicit: Electores videlicet, Principes, & Ciuitates, Electores sunt septem, Archiepiscopus Mo- guntinus Imperij Romani archicancellarius per Germa- niā: Archiepiscopus Treuirensis eiusd. imp. archicancell. per Galliam & regnum Arlatense: Archiepisc. Coloniensis Imp. R. archicancell. per Italiam: Rex Boemiam, Imp. R. archipincerna: Comes Palatinus Rheni, Imp. R. archidapifer: Dux Saxonię, Imp. R. archimarscalus: Marchio Brandenburgensis Imp. R. archicamerarius. Principes Ecclesiastici sunt Archiepiscopi quatuor, nempe Magdeburgensis, Herbipo- lensis, Vesontinus, Bremensis: Episcopi plus quam qua- draginta. Principes seculares, nempe Duces, Marchiones, Landgravij, numero vigintiquinque. Principes Ecclesiastici

Abbates, & Præpositi, Ordinum magistri, num. 67. Abbatisæ circiter 16. Comites 94. Barones 11. Domini 36. Ciuitates liberæ 88. Præter hanc trium membrorum ordinatio-nem, ad vitanda in imperio Schismata, ad mutuam Principum Germaniæ defensionem, pacemque communem seruandam, distinctæ sunt Imperij prouinciæ in ditiones vel partes aliquot, quas Circulos appellant, in quibus instituta fuere particularia Imperij consilia. Sex initio Augustæ anno 1500. tandem anno 1522. Norimbergæ decem Circuli instituti sunt, Franconiæ videlicet, Bauariæ, Austriæ, Sueviæ, Alsatiæ infeliotis, Rheni, Germaniæ inferioris, Burgundiæ. In Franconiæ circulo sunt tres Episcopi: in Bauatico Sex: totidem in Austriaco, Suevius habet tres episcopos & Virtembergensem Ducatum, plurimæque Ciuitates liberas. In Alsatiæ inferioris Circulo continentur undecim episcopi, Duces item Sabaudiæ & Lotharingiæ. Alsatia superior tota est ditionis Austriacæ. Palatinatus Rheni, tres Septemuiros Ecclesiasticos habet, & Electorem secularem primarium. In Westphalico, sunt octo Episcopi, Frisia Orientalis, dux Ju-liaci & Cliuiæ, Comes Valdecius. Saxonia Superior ample-ctitur Misniam, Lusatiam, septem episcopatus, ducem Saxoniæ & Marchionem Brandenburgicun Septemuiros, Principem Anhaltinum, Pomeraniæ ducem, Gedanum ciuitatem, alias Inferior Saxonia obtinet archiepiscopos Bremen-sem & Magdeburgensem. Sex episcopos, Daniæ regem propter possessiones, Holsatiam imprimis, quas in imperio obtinet, duces Brunsvicensc, Luneburgensem, Megalopolitanum. Decimus circulus est Burgundia superior, in qua Vesuntinus Archiepiscopatus: ab Austriacis principibus Germanicis circulis additus, in quo & præcipui Belgici proce-res comprehendendi voluerunt. Eligit autem quisque Circulus sibi ex suo corpore Præfectum secularem, qui sit Princeps, Comes, Baro, aut ex præcipua nobilitate, cui ex eodem cor-pore quatuor viri seculares, honesti & prudentes adiungun-tur. Præter hæc circulorum consilia, ad causas grauiores quæ per imperium accidunt iure decidendas, instituta est Spiræ Camera Imperialis, cui præfet iudex princeps, aut saltem Comes vel Baro. isq; secularis, si ad hoc munus idoneus re-periri possit. Assessores huic & coniudices ab Imperatoria Maiestate fex dantur, nempe duo Comites vel Barones, duo Jurisconsulti, duo ex equestri ordine nobiles. Ab electori-bus singulis vno, ab unoquoque circulo duo superaddun-tur,

cor, quorum alij Jurisconsulti, alij ex equestri ordine delegati sunt. Quæ ad imperij maiestatem, reipublicam, & ius viuorum pertinent, ut cum de pace, de bello, de tributis in communis belli sumptus imponendis, de fœderibus, de sociis, de legum latrone, abrogatione aut interpretatione, & ceteris eiusmodi rebus agitur, de iis in ordinum comitiis (diætas vocat) quæ, quo loco & tempore commodum videatur, indicere Imperatori ius est, deliberatur. His Imperator, principes, aut principum & ciuitatum legati interesse, instare, supplicare, intercedere possunt, pro dignitatis gradu & suffragiorum prærogatiua, quam iuxta consuetudines & leges in imperio promulgatas & receptas obtinent.

Huic reipublicæ Germanicæ ex tot Principibus, tam in Germania, in qua iurisdictioni imperiali subsunt, quam extra Germaniam ad Imperium pertinentibus tot ciuitatibus, adde etiam fœderatis populis compositæ, quid in omni antiquitate conferti possit non vident viri sapientes. Amphictyonum & Achæorum concilia celebrantur: sed cum Germanico comparata, sunt quasi musca ad elephancum. Nam facile fuit, ut populi inter se contermini, exterorum iniuriis obnoxij, cum altera alterius ope indigeret, unde convenirent & idem sentirent, communis salutis tuendæ causa: quemadmodum & facile iij conuentus aut externis opibus, aut domesticis dissensionibus postea dissoluti sunt: quamuis eorum umbra quedam sub Romanis imperatoribus remanserit. Mirum verò tot potentes populos, non vicinorum metu, vel villa necessitate adductos, in hanc status summam consensisse; & scilicet arreptam per tot secula tam constanter retinuisse, ut nullum corpus robustius, licet ex debilibus plerumque membris coflatum, si singulos aut species, aut hodie, sic olim fuissent homines meminerint. Et, quod magis mirari subit, cum ex diuersis administrationum generibus constet, summa concordia inter Germanos ab eo tempore viguit, nisi si quando semina dissensionum inter eos iacta sunt, quibus id tandem effectum est, ut excusso imperij iugo, Pontifices in Italia rerum potiti sunt, & ad alias nationes atque adeò Germanos ipsos paulatim pontificij nominis terror peruerasit, salua tamen & incolumi in Germania, ad nostra usque tempora imperij Maiestate. Sed ab anno 1517. ad sequentes, distractis populorum & Principum animis, (peculiariter quodam mancipiorum Pontificiorum artificio) quo sibi ac religioni prospicerent, diaetas se in factiones scindentibus, Carolus V. variis successibus elatus, arrideant.

fortuna, occasionem aripuit imperij, cuius ipse pars erat, sibi suisque proprio iure afferendi. Id sibi tot victorias ex Gallia, Italia, & Roma ipsa reportatas spondere, atque adeo sibi deberi cum confidebat; tum verò & rem tentare commodissimum, honorificum, & quodammodo necessarium existimauit. Anno igitur 1511. vt imperium in familia Austriaca firmaret, Ferdinandum fratrem regem Romanorum Colonię renuntiauit. Id Septemviri aliique Germaniae Principes, quòd contra Catoli I V. bullam auream seu constitutionis illius leges factum esse dicerent, magnopere improbabant, & sine Septemvirotum consensu negabant potuisse fieri. Inde arcana fœdera, cogitationes variæ, conatusque nonnulli quibus bellum Protestantium, Septemviri Saxonis & Landgravij captiuitas, Passauensis pacis articuli, nec non insignes aliæ in imperio rerum conueriones ad tempus indixerunt silentium. Nunc ad Ferdinandum accedamus.

Is archiducis Austriæ Philippi & Ioannæ filiæ Ferdinandi & Isabellæ filius, natus Modinæ in Castellæ regno Hispaniarum anno 1503. 10. Martij. hora pomeridiana decima, à pueritaliterarum studia coleuit, Ludouico Viue Valentino & Erasmo Roterodamo, quem magnificiebat, præceptoribus usus. Mathematum artibus mirè delectatus est, ita vt de difficillimis hypothesis cum artificibus præstantissimis eruditè dissereret, animùmque laboribus gubernationis defatigatum ex contemplatione mirandæ harmoniæ motuum in corporibus cœlestibus recreabat. Maximiliano I. & Ferdinando auis mortuis, Carolo fratre natu maiore ad dignitatem imperij electo, Austriam pro parte patrimonij sui possidendam accepit: & quamvis fratri longè latius esset imperium, tamen illi volens cesuit, & semper præstítit obsequium. Anno 1521. vxorem duxit Annam Ladislai Vngariæ regis filiam, cuius heroinæ ea in Deum & homines fuit pietas, vt Sanctis matronis annumerari possit, quindecies puerpera, in partu filiæ anno 1547. Januarij die 27. extincta est, anno ætatis 44. Aliquando compellatus Ferdinandus a suis, qui minus rectè fieri putabant, quòd reginam coniugem & gynecæum ad imperij conuentus secum duceret, propter sumptuum magnitudinem, piè & prudenter respondit Ferdinandus, Officium magni Principis esse in coniugio castè vivere, pluraque profundi in libidines vetitas, quam in sumptus honestæ vitæ coniugalis.

Ludouico sutorio extincto renuntiatus est primum Bohemiq[ue] rex, & Plagæ coronatus 24. Februarij anno 1527. circa Maij initium à Silesiis exceptus cum magno applausu, paulò post falso fugato Joanne Vatuoda regni Ungarici companionam vñā cum uxore accepit. Iohannes malis consiliis impulsum in fidem Solymaci Turcæ se dedidit: unde in Christianum orbem malorum Ilias exorta est. Ferdinandus princeps pacificus, præliis minimè addicetus, seorsim saepius in illis bellorum fluctibus decumanis, atque in tanta armorum imparitate manifestū Dei auxilium, quod Ungariam, Bohemiā, Silesiā, Austria, aliasque prouincias adversus potentiam Turcicam clementer defendit. Et quamuis Hungariæ præcipui tractus amissi sint, tamen mirifica Dei operæ barbari repressi, saepiusque parua Christianorum manu remitti sunt, ne ulterius progrederentur & vicinas regiones absorberent. Quatuor variis expeditionibus formidabilibus Solymanus ipse, tanquam horribile fulmen, Ferdinandum inuasit, & quidem spe sua totam deuorabat Germaniam: sed à mœnibus Vicinæ planè diuina dextera, sicut Alsyrius à Judæa, magna parte Turcici exercitus amissa, repulsus & lacteus ita repressus est, ut in vicinam Germaniam penetrare non potuerit.

Ferdinandi mores ante & post adeptum imperium multinorunt & descripserunt. Similis sibi semper fuit, nec vlla in remutatus est inquam: bonus bonis, fucatus minime, totus in seipso teres atque rotundus, in ea quæ agenda erant intentus, & rumorum vulgi contemptor: pius, iustus, clemens, affabilis, temperans, diligens, in omnibus actionibus ordinis obseruantissimus, religiosus. Pacem ciuilem & ecclesiasticam dilexit: Ecclesiæ nomen maximè veneratus est, & cum de multis doctrinæ articulis motæ essent controversie, reformatis Ecclesiæ ipse non opprescit, sed legitimā in Synodo Christiana multarum gentium cognitionem fieri voluit, eaque quod non coiret, aut insidiosè turbaretur, acerbè tulit & indoluit. In variis morbis, præfertim in extremo, non desit laborare quomodo ecclesiis distractis pia posset afferri concordia. Pontificem Tridentinæ Synodi decreta cudentem saepius admonuit, vt calicem sacrum in membra Domini Laicis restitueret, & de vulneribus Ecclesiæ sanandis sincera consilia sequeretur, sicut præterea legum custos studiosissimus: ins aequale dixit potenti & inopi, suppli-cibus pepercit, multisque graues poenas commeritis clementer ignouit. Ciuilium bellorum scintillas prudenter ex-

tinxit, simultatibus & offenditionibus fecit medicinam; tandem sua autoritate fratrem Carolum flexit, & pacem salutarem reddidit Germaniae, quæ tamen semel motis armis intestinis non videbatur, etiam prudentioribus, nisi euerso imperio, quietura.

Necessarias diei operas distribuebat in certas horas accuratè obseruatas, & in varia corporis imbecillitate sustinebat labores qui etiam robustissimis intolerabiles videbantur. Sed vires mentis & corporis temperatio fouebat: nec umquam visus est vino superatus. Sæpe solus prandebat sine longa ferculorum pompa, ut cognitioni causarum deliberationib[us]que iustum tempus tribuere posset. Peracto prandio promiscuè se exponebat omnibus, etiam infirmorū expostulationes & petitiones audiens, singulisque commode respondebat. Narratur obiurgatum fuisse cubicularium ab ipso acriter, qui humilioris conditionis mulierem repulerat ne audiretur, addens Ferdinandus, Si nos excludimus inopes à conspectu nostro, quid nobis ipsis ad Dei tribunal eueniet? In mensa familiariter audiebat eruditorum virorū disceptationes de natura rerum, vel alia parte doctrinæ, cognitu dignissimas. Ipse non modò multa prudenter sciscitabatur, verò etiam eruditè suam sententiam de promebat, apophthegmata colloquiis admiscens ingeniosè cogitata, quibus delectabatur. Cæsaris Caroli fratri per multos annos vices sapienter gessit in Comitiis, alienus à turbis, præfertim ciuilibus, pacis publicæ tenacissimus: magnóque cum dolore Hispanica consilia contra Imperij ordines luctantia vidit & pertulit.

Quum Septemviri Francofurtum ad Mœnum conuenissent anno 1558. eodem quoque Caroli V. in Belgio commorantis legati, 24. Februarij venerunt, cum Caroli mandatis eius nomine imperatoriam dignitatem eiuraturi, & in Ferdinandum ante multos annos Romanorum regem ius suum translaturi. Post deliberationem, quum Septemviri certis cōditionibus Caroli postulatis & votis annuiscent, & ceremoniis inaugurationis nouæ peractis, nouus Cæsar ad Carolū fratrem scribit ac gratias agit: mox ad Spirensis Cameræ iudices dat literas, atque ut iudicali munere vice & auctoritate sua fungantur, edicit. Dimisso conuentu Cæsar secundo Danubio mense Nouembri Viennam venit, ubi maxima omnium ordinū gratulatione exceptus est. Inde Martinum Gusmānum archicamerarium ad Paulum quartum Pontificem R. misit, qui cum de Caroli fratris abdicatione, & sua

& sua inauguratione in Cæsarem plenius edoceret. Pontifex, non auditio Gusinauno, purpuratis suis hæc discutiēda proposuit, An non Gußmannus docere teneretur, quid Carolus in Imperij abdicatione cum fratre egisset, quid Ferdinandus vicissim esset pollicitus; quibus item conditionibus dignitatem imperialem acceptasset? num etiam Ferdinandi inauguratione facta sine Pontificis & Romanæ sedis cōsensu rite ac legitimè facta censerri deberet? Delecti Cardinales ad Pontificis nūtum pronunciare soliti, nec non amplificādæ potentiae pontificiae supra modum studiosi, post præfationem, qua causæ variis difficultatibus implicatae magnitudinem multis verbis extolluunt, necesse esse respondeant, ut publicis documentis demonstretur, quomodo per eorūationem siue cessionem Caroli dignitas imperialis vacauerit: rursus quo iure Ferdinandus in eam successerit, interea non debere admitti ipsius Oratorem, priusquam constet num Carolus qui cesserit, dignitate sua legitimè sit solutus, ut successor eius legitimè successisse dici possit. Addunt acta Francofurtensia nullius else momenti, cùm in iis haud interuenerit Romanæ sedis auctoritas, atque Pontificis, Christi vicarij, cui cælestis ac terreni imperij claves credite sint, siue quibus nec Carolus legitimè imperio solutus, nec Ferdinandus rectè in imperium successisse dici queat. Nam quamvis Ferdinandus olim rex Romanorum Coloniæ creatus fuerit, remque Clemens VII. ratam habuerit; tamen ut succedat necesse esse ut vacet imperium, quod nō nisi morte, abdicatione, aut priuatione fieri possit: quæ duo postrema ad solum Pontificem & Romanam sedem pertineant. Esse & aliud in causa, cur omnia Francofurti acta rescindi debeant, quod ab hominibus prauitate heretica infectis gesta sint, qui potestatem & gratiam amiserint, quam habebat cùm nondum defecissent ab Ecclesia Romana. Propterea, nec non ut ad purgandum factum illud se iudicio sistat, Ferdinandi opus esse pœnitentia: nec verò dubitate eum debere, quin veniam amiti patre facile consequatur. Itaque mittendum esse ab illo procuratore cù plenis mandatis, quibus declarat se actis Francofurtensibus, ut actis nullius momenti renunciare, remque omnem Pontificis arbitrio permettere, qui inaugurationem quamvis non rectè factam plena potestate confirmaret: modatum in super Caroli, quo imperium eiurat, coram Pontifice produci debere, quod licet ad Septemvirost tantum dirigatur, tamen defectum hunc abundè ab eo qui plenam potestatem in huiusmodi rebus

habeat, suppleri, & ad Pontificem ipsum extendi debere.

Pontifex instanti Guzmano ut admitteretur, secundum hæc respondit, quoniam Carolus apud nullum alium, nisi se, Cesaream dignitatē eierare, nec Ferdinandus eam citra Pontificis consensum accipere potuerit, ipsum intra tres mēses iis quæ à Cardinalib. proposita sunt, tatisfacere debere: nec interea Guzmanum admitti posse. Eodem tempore Philippus Hispaniarum rex, vt Ferdinandu[m] patruo aduocatione in eo negotio speciosum atq[ue] officiosam præberet, Francisco Vargæ apud Senatum Venetum Oratori suo mandauerat, vt Romā profectus rem suo nomine precib[us] enixis commendaret. Huius preces Pontifex nihil moratus est, quin & Joannem Figueroam a Philippo Romā missum, cum urbis portas attingeret, intus sè aditu Pontifex prohibuit: cauillatus Figueroam, Mediolani antea praefectum, coniceto in carcere rem tabellario Pontificio, in gravissimas sacræ censuræ poenas incuruisse, quamquam id Vargæ potius auctu factum non nulli scribunt, qui Figueroam relecto in ipsius locum se sufficietum iri speraret, idque Cardinalium quo iudicata, atque adeo Carafarum intermentu[m], ad quorum outum Vargares heri sui se administratorum receperat. Vbi verò de Pontificis voluntate Ferdinandus ex litteris Guzmanni cognouit, sine mora rescribit, mandatque vt nisi post triduum a mandato accepto admittatur à Pontifice, ipse rebus compositis Romā discedat: denuntiatione ante facta, se quando a Cæsare ad Pontificem sit legatus, vt more maiorum filialem honorem ei exhiberet, nec tam longo tempore, non absque Cæsareæ maiestatis imminutione, ad mandata exequenda admitti potuerit, Romā discederet, vt Cæsarem de iis quæ acciderant faceret certiori[m], qui recum Septemviris expensa, quod imperiali dignitati conueniet, inox exequatur. Instante igitur Guzmano, Pontifex tandem spe sua frustratus, necramen pacator redditus, illi. Id. Quintilis, coram vii. Cardinalibus, tum ob cauillæ grauitatem prolixè se excusat, quod non prius petitioni Guzmannicæ fuitis fecerit: cùm verò satis temporis non fuerit sibi, vt capita à Cardinalibus proposita potuerit expendere, neque ipsi Guzmano vacet, vt diutius Romæ commoretur, licere ipsi cùm volet abire: se verò quamprimum ad Cæsaream maiestatem (ita Carolum de monachatu, non de imperio cogitantem, appellabat) legatum missurum, quibus dictis cùm Guzmannus quid de protestatione facienda in mandatis haberet indicasset, Pontifex respondit id sibi probari,

& tum

& cum sibi tum Cæsareæ maiestatis bono cessum. Itaque protestatione, sicut iussus erat, facta, ac salute amicis dicta, Gusmannus ab urbe discessit. Mortuo dein Paulo IV. qui extinctus est 18. Augusti 1559. Pius IV. imperatoriam dignitatem a Carolo in fratrem Ferdinandum translatam, ratam habuit, & eius tanquam legitimi imperatoris legatos honorifice excepit.

Porro quid in Comitiis Augustanis codem anno transactum sit circa religionis negotium, ita se habet. Caroli V. magnâ pompa celebratis exequiis, colloquij Vormatiensis de religione acta coram Imperij ordinibus publicè recitata sunt: ex quibus cum nulla spes conciliationis affulgeret, Ferdinandus Cæsar oecumenicæ Synodi instaurationem se procuraturum promittit, ac ut eius decretis parituros se recipiant omnes, moderata oratione depositit. Verum contradicentibus Saxonis ac coniunctorum principum legatis, &, quando per concilium Pontificium nulla concordia in eisdem spes esset, Passauensem conuentum, & Augustanum de pace decretum urgentibus, Cæsar cum in proposito perseveraret, illi se quoque liberum & uniuersale in Germania concilium non impedituros ostendunt, modò legitimè celebretur, nec à Romano Pontifice, sed ab Imperatore dicatur indictum; dum Pontifex in eo non tanquam preses & index, sed partis loco sedeat, se concilio summittat, præsulibusque ac theologis, iuriandum, quo ipsi deuincti sunt remittat, ut liberè citra metum dicere possint sententias: dum pro norma iudicij sit sacra Scriptura ac solum Dei verbum, electis traditionibus humanis, consuetudinibus cum verbo Dei pugnantibus, & Romanæ Ecclesiæ consensu exemplo: dum Theologi qui Augustanam confessionem amplectuntur, non solum audiantur, sed in controversiis decidendi sententias dicant, eisq; idoneè caueatur, ut nō tantum securè eò accedere possint, sed libertas illis decreto Augustano concessa citra fraudem salua maneat: capita controversa non secundum suffragiorum numerum, ut in ciuilibus controversiis fieri consuevit, decidantur, sed iuxta diuinum verbi præscriptum ac regulam sanciantur. Ante omnia, Tridentinæ Synodi, ut vitio coactæ, acta cuncta ac decreta rescindantur, & denuo retractentur. His conditionibus in Concilium consentire se paratos demonstrant Protestantes. Quod si à Pontifice obtineri nequeat, ut religionis pax & Passauensis conuentus decreta seruentur, subsidium pertinet à Cæsare, qui de concordia nouis istis legibus sarcienda

desperans pacem religionis confirmat , aliaque negotia ad publicam quietem pertinentia componit.

Passauiensis conuentus decreta, pacificationis que à Carolo V. & Ferdinando tunc Romanorum rege cum Imperij principibus confirmatae & ob signatae summam Lectori exhibere necessarium duximus. Formula & articuli hi fuerunt. Nos Ferdinandus, &c. fatemur cùm bellicos motus istos in Germania, ex Philippi Landgrauij Hassiæ custodia, præcipuam originem & causam habuisse intelligeremus, adducti amore & cura salutis, & pacis Imperij publicæ, fratrem nostrum Carolum V. Imp. amanter rogauiimus, vt de liberatione Landgrauij, & coherentibus negotiis, quæ causam bello præbuisserent, amicam transactioem instituere nobis liceret. Quod cùm à Cæsare impetrasssemus, Nos & filius Maximilianus rex Bohemiæ, cùm Mauricio Saxoniæ & Alberto Bauariæ duce, præteritis Paschæ diebus, Lyncij conuenimus, & post varias deliberationes utile ac necessarium iudicamus, alterum conuentum xxvi. Maij in hac vrbe Passauio instituere, & Electores ac Principes imperij adscriptos velut intercessores simul adhibere. Itaque nos & dictus Elector Saxoniæ & reliquorum quinque legati; nomine Moguntini Daniel Brendel, Coloniensis Henricus Saltzburg, Treuerici Philippus à Winnenberg, Palatini Friederici Ludouicus Comes in Konigstein, Joachimi Brandenburgici Adamus Trode: deinde Ernestus archiepiscopus Saltzburgensis, Mauricius Dryopolitanus, Wolfgangus Passauiensis, & Albertus Bauariæ dux, in propria persona: nomine verò Johannis Brandenburgici Bertholdus Mandelso & Andreas Zoch, Guilielmi Juliacensis, Guilielmus Keteler, Philippi Pomerani Jacobus Zitzevvitz, Christophori Wirtembergensis Theodericus à Pleuningen, comparuerunt, cum quibus causam tractare cœpimus. Ac primū Electoris Saxoniæ & confederatorum Principū postulata & grauamina, duobus scriptis exposita accepimus & expendimus, & re accurate deliberata, sequentes articulos & media pacis proposuimus.

1. Elector Saxoniæ & fœderati Principes, ante XII. Augusti ab armis discedent, & Cæsareæ Maiestati ac Imperio obedientes erunt, copias sine ullius detimento dimittent; vel regi Ferdinando militare sinent, vrbes Imperij & alios status, quos armis sibi adiunxerunt, patentibus literis ab obligatione liberent.

2. Philippus Landgrauius Hassiæ, conditiones in Salinis Saxonis

Saxonis ipsi præscriptas , denuò ratas habebit & perficiet, nec custodiam suam vlcisci conabitur , sed vt obdientem Principem decet, deinceps se erga Cæsaream maiestatē nos & Imperium getet. Ambo etiam Electores, Saxo & Brandenburgicus , & Palatinus Wolfgangus , obligationem antea datam renouabunt , & reginæ Matiæ , vel ipsius præsidenti Machliniensi ad vi. Augusti diem tradi curabunt. His factis Landgrauius custodiâ liberabitur, & ad ii. vel 12. Augusti in arce sua Rinfels sistetur. Cæsar etiam militum copias aduersus Saxoneim , Hassum & socios , iam conductas , aduersus eos qui pacificationem hanc accipient non conuertet, nec in eorum ditiones collocabit. Permittit etiam Cæsarea maiestas vt Landgrauius inchoatam urbis Castellanæ munitionem perficiat.

3 Executionem quoque sententiarum in controuersia Nassauensi planè inhibebit, donec liberato Landgrauio amica compositio inter partes institui possit, vel per utrinque delectos Electores & Principes arbitros, caussa recognoscatur, & intra biennium decidatur. Administrator ordinis Teutonici & Henricus Brunsuicensis , actiones occasione pateriti belli Smalcaldici aduersus Landgrauium institus, vel instituendas , inhibebunt, donec grauamina, ad publicam imperij Rempùblicam pertinentia , per Mauricium & Hessum in hoc conuentu proposita tollantur.

4 Quod ad religionem, pacem, & iustitiae administracionem in Imperio attinet, pax religioni usque ad proxima comitia dabitur , in quibus de ratione hoc dissidium amicè componendi, vel per concilium generale , aut nationale, vel colloquium , vel communem imperij conuentum delibabitur. Hunc de Religione articulum rex Ferdinandus & Electorum ac Principum legati, in eodem conuentu Passauensi scripto peculiari ita declararunt , vt constans & perpetua pax in caussa religionis , siue componatur amicis rationibus , siue non componatur , inter Cæsaream & regiam maiestatem , electores, principes, & status imperij seruetur, & ex confessu iudicij Cameræ coniuncti Augustanæ confessioni deinceps non excludantur.

5 Articuli ad libertatem Germanici imperij pertinentes à Mauricio exhibiti in comitiis expedientur. Ad consilium vero Cæsaris aulicum , quod imperij negotia tractabit, consiliarios Germanicos Cæsar adhibebit , & Germanica negotia non nisi per Germanos tractari sinet: libertatem

verò Germaniæ patriæ suæ non imminuet, sed omnibus viribus augere studebit. Ac ne Mauricius & fœderati hos articulos neglectum iri metuāt, Ferdinandus & Maximilianus spondent, se vñacum Principibus & Electoribus primo loco in Comitiis hæc negotia Cæsari proposituros, ac vt ad exitum deducantur, ad futuros esse.

6 Ad Galliæ regem quod attinet, ex legati illius oratione apparere quedam ad communem Imperij pacem, quædā ad ipsum priuatim spectantia ab eo postulari. Cùm autem publicæ pacis in Germanico Imperio cura ad Cæsaream maiestatem, Electores & Principes pertineat, de priuatis suis negotiis per electorem Saxoniæ ad nos referre poterit, vt Cæsari postulata ipsius à nobis exhibeantur.

7 Qui ob Smalcaldicū bellū à Cæsarea maiestate bonis exuti vel proscripti sunt, Palatinus Otho Henricus, Wolfgangus princeps in Anhald, Albertus comes Mansfeldicus, cum filiis Joanne, Wolrado, & Carolo, Philippus comes ad Rhenum, Christophorus comes Aldeburgicus, Joannes Baro in Heidec, Fridericus à Reiffenberg, Georgius à Reckenroth, Sebastianus Scherthle, & cæteri in gratiam Cæsareæ maiestatis recipientur, & in possessiones ac bona sua restituentur: modò deinceps Cæsari & Imperio sint obedientes, & qui in Gallia militant, intra sextam hebdomadam se declarant, & post trimestre in Germaniam redeant.

8 Quibus damnum hoc bello datum est, nullam eo nomine litem mouebunt fœderatis. Omnibus qui hoc bello aduersus se militarunt, Cæsar ignoscet, etiam Alberto Brandenburgico, si ab armis discedet, & copias ante diem dictum dimitte.

9 Inter Henricum ducem Brunsvicensem & nobiles bonis ac domibus suis ab eo exutos, Saxo & Brandenburgicus Electores, & Joannes Brandenburgicus, & Philippus Pomeranus, velut commissarij Cæsaris, intra trimestre amicè trâsigēt, & Nobiles saluis actionibus cæteris restituent. Idem Commissarij controversias ducis Henrici Brunsvicensis cum vrbibus Brunsuiga & Goslaria diriment. Sed cum Goslariensibus à se obsessis dux Henricus paulò ante pro suo arbitrio transegerat.

Hæc Cæsar pro se & successoribus, & cōfœderati Principes, Mauricius Elector Saxoniæ, Otho Henricus Palatinus, Joannes Albertus dux Megalopolitanus, & Gulielmus Lædgravius Hassiæ pro se & heredibus, & omnibus qui hoc bello ipsis militarūt, & Ferdinandus ac Maximilianus, Reges, Electores,

lectores, Principes, Ecclesiastici & Politici, pro se & suis, rata habent, & perpetuò fideliter obseruaturos & defensuros promittunt. Exempla verò huius recessus tria, Regis Ferdinandi & Electorum Moguntini ac Palatini, Archiepiscopi Saltzburgensis, Alberti Duci Bauariæ, & Mauricij Saxonis ac Guilielmi Hessi, propria manu subscripta, & appensis sigillis confirmata sunt: quorum vnum Cæsareæ Maiestati, alterum Ordinibus Imperij, tertium Electori Saxonie & so- cios tradita sunt. Actum Passauij 11. Augusti anno Christi MDLII. regnorum nostrorum, Romani xxii. Cæterorū xxvi.

Hæc ideo descripta sunt in Ferdinandō, ut Caroli & Ferdinandi moderationem, in publicæ pacis procuratione & sincera conseruatione lector intuens, alastores detestetur. qui Germaniam bellis ciuilibus laceratam videre percupiūt. Nunc ad Ferdinandum Cæsarem reuertor, & alia quædam attingo, quæ politicum Imperij statum respiciūt. Primiis imperij auspiciis Ferdinandus memorabile ac plenum æquitatis iudicium tulit. nam cùm ex superiorum bellorum occasione, quibus Albertus Brandenburgensis immanni licentia bacchatus Franconiam & finitimas prouincias magnis clâib⁹ afflixerat, magna controuersia exorta esset inter Alberti iam mortui agnatos, quibus propter antiquum foedus Saxonie & Hassie principes se adiunxerant, & Franconiæ episcopos ac Senatum Noribergensem, quod illi occupata agnati bona sibi restitui, destructarūmque arcium damna sarciri debere contenderent: si quando nihil à pacis constitutionibus & imperij decretis alienum fecissent, contra ut sumptus in exequenda imperij sententia aduersus Albertum proscriptum lata facti refunderentur, postulabant. Hic Cæsar, qui controuersiam eam non priuati iuris esse, sed ad publicam tranquillitatem spectare videret, quamuis contra Albertum facta à foederatis, rectè facta essent, tamē cùm morte eius crimen extinctum & odium quadam tenus expiatum videretur, ut concordiam inter primarios imperij proceres, episcopos ac ciuitates seruaret, damnorum à Brædeburgica familia exceptorum rationem haberí voluit: & cùm anno MDLVII. mense Martio foederati vniuersam à se occupatam regionem Georgio Friderico Alberti agnato & heredi restituissent, insuper Cæsar censuit, ut pro arcib. diutis CLXXV. millia aureorum Brandenburgico depéderet. cui sententiæ postremò, ut damnosam belli aleam effugeret, priuatis rationib. publicæ quieti posthabitatis, illi assenserunt.

Eodem hoc anno, XVII. Cal. Maias, Melchior Zobelus epi-

Scopus Virtzburgensis, Franconiæ dux, Herbipoli in ciuitate
 sua à quindecim sicariis cōfoditur, inaudito à multis seculis
 in Germania facinore. Vilelmi Grombachij equitis Franci
 iussu id factum paulò post compertum est: vnde natum bel-
 lum, de quo prolixè in Maximiliano II. agitur. Cæterum
Germania sub pacifico principe & Cæsare Ferdinando quie-
 uit vsque ad anni 1561. initium. Tunc enim Pius IV. ponti-
 fex missis legatis ad Cæsarem pacem publicam turbare mo-
 litus est. Iis oratores à Cæsare adiuncti Principes protestan-
 tes Naoburgi ad Salam in Saxonia congregatos conuene-
 runt, & hortati sunt, vt ad Synodum Tridenti indictam
 & legitimè celebrandam accederent, vt lamentabili reli-
 gionis discidio & secutis inde Germaniæ calamitatibus sa-
 lutaris tandem finis imponeretur. Iis re deliberata à Princi-
 pibus responsum, se inuictissimo Cæsari propria sollicitu-
 dine & amore erga rem publicam ac ipsos reuerenter ad-
 modum gratias agere. Ad Concilium quod attinet, non re-
 cusare liberum, Christianum, & vniuersale, in quo non pon-
 tifex Romanus, sed verbum Dei, pro iudice sedeat, iureiu-
 rando Episcopis remisso, & Augustanæ confessionis ordini-
 bus facultate decernendi permissa. Multa alia Principes
 repetierunt præcedentibus comitiis, vbi de Religione a-
 etum fuerat, proposita: Ferdinandum etiam ad pacis pu-
 blicæ conseruationem suppliciter hortati sunt, & legatis
 responderunt, nullam se Pontificis iurisdictionem agno-
 scere, neque vero opus esse, vt Pontifici quid suæ voluntati-
 sit in concilij negotio, cuius indicendi aut habendi po-
 testatem ipse non habeat, aperiant: abundè id sæpius fe-
 cisse, & Cæsari suam mentem reuerenter exposuisse. Ita
 dimissi legati. Maximilianus, Ferdinandi maior natu filius,
 Romanorum rex renunciatur Francofurti 24. die Nouem-
 bris 1562. & paulò post coronatur. Pridie huius electionis
Hibramus Bassa Solimani ad Ferdinandum legatus, cùm
 per Germaniam Francofurtum peruenisset, quadriguo post
 ad Cæsarem admissus, lingua Selauonica, admodum magni-
 fica oratione, salutavit, felicem administrationem & vi-
 tam ei à Solimano precatus, amicitiam Turcicam detulit,
 petiitque, vt quemadmodum captiuos Christianos in eius
 gratiam dimiserat, vicissim Turcæ captiui à Ferdinandø li-
 berarentur, fœdere in octo annos inuiolabili percusso: tum
 porre&tis Solimani literis, munera etiā pretij ingentis obtu-
 lit. Sūma literarū erat, missū Hibramū cū Augerio Grisilio

Busbequio Cæsaris ad Solimanum Legato, ut fœdus in octo annos percuteretur, quibus singulis xxx cī. Hungaricorum pro tributo dependerentur: tum de limitibus appositæ sunt conditiones, quos neutri citra pœnas fœdere comprehensas cum maleficio egredi liceret. quibus conuentis pace confirmata, Cæsar Bassam amplissimis donis auctum ad Solimanum remisit.

In eo conuentu Septemviri Protestantes, alij Principes & ordines, Augustanæ confessionis socij, suam de Concilio in conuentu Naoburgensi promissam sententiam scripto comprehensam exhibuerunt: in qua cauſas exponebant, cur ad impium (sic loquebantur) Concilium à Pio IV. indictum non accedant, addita conditionum commemoratione, quibus in Comitiis imperialibus aliisque conuentibus ad Concilium generale, pium, liberum, legitimum, in Germania celebrandum antea prouocauerant, & tunc quoque prouocabant. Tandem sub exitum Septembris, solutis Comitiis Cæsar Francofurto discedit. Ab eo tempore ad Ferdinandi obitum, turbis ciuilibus agitata Gallia à Germanis Principibus Pontificiæ & Augustanæ confessionis obtinuit auxilium. At sub placida Ferdinandi administratione, fœdere ostennicū Turcis sancito, Imperium multa quiete gaudens viguit.

Quum autem Ferdinandi Cæsaris præcipuâ curâ, controversiæ cruentæ incer Daniæ & Sueciæ reges compositæ fuissent anno 1564. Galliaque & alia regna pace fruerentur, tandem Deo placuit ipsi Cæsari concedere pacem, cui ante tranquillam senectam, florentem autoritate, gratia & laude apud omnes, quam multi alij potentissimi bellatores quos ad extremum fortuna destituit & euertit, non adepti sunt. In ipso autem vere apparuit exemplum huius diuinæ promissionis, Beati mites, nam possidebunt terram. Pietas & clementia Ferdinando fructuosæ fuerunt, & amplum atque felix ipsi pepererunt imperium. Exitus etiam illius plane congruit ad dictum, Plantati in domo Domini etiam in senecta florebunt. In morbo quem ex assiduitate laborum & curarum contraxerat, vera fide consuersus ad filium Dei insignia testimonia pietatis suæ in Deum, spei & patientiæ edidit, & in' vera inuocatione filij Dei placidissime discessit xxv. die Iulij, anno cīcī xix. longa tabe consumptus. Vixit annos LXI. menses IV. dies XIV. horas XX. Ex vnica uxore Anna suscepit quatuor filios, Maximilianum natum anno

cic xxxvii. Ferdinandum cic 10 cxxix. Johannem cic 10
 xxxviii. Carolum cic 10 xl. & vndeclim filias Elizabetam,
 Annam, Mariam, Magdalensem, Catharam, Leonoram,
 Margaretam, Barbaram, Yrsulam, Helenam & Johannam.
 Ex tot liberis duodecim superstites reliquit. Elizabeta ac
 deinde Catharina Sigismundo Augusto Poloniæ regi loca-
 tæ sunt: cæteræ singulis ferè Germaniæ & Italiæ Principibus
 nuperunt. Sed nulla re felicior fuisse videtur Ferdinandus,
 quam successore Maximiliano, qui paternis vestigiis insi-
 stens cum raræ prudentiæ & equitatis laude imperium post
 patris excessum administravit. Imperium solus vii. annos
 Ferdinandus rexit, princeps antea suis colorib[us] ad viuum
 depictus, cuius præcipuum studium fuit pacis in Impetio &
 in Ecclesia procuratio. Quemadmodum in impetu Turca-
 rum, cui impar viribus erat, sustinendo atque frangendo
 mora & ante uti optinum factu experientia didicerat, sic &
 in religionis negotio non igne & ferro grassari, ad quodi-
 psim & Galliæ regem plenique hortabantur, sed colloquiis,
 disputationibus, amicis collationibus, conciliis denique siue
 nationalibus, siue Oecumenicis, rem gerere tutius iudica-
 bat. Itaque cum videret concilio Tridentino iam ad exi-
 tum perducto, quantum ad Germaniam & suæ ditionis po-
 pulos parum profectum, setiisque animaduerteret sibi à Le-
 gato Pontificio Cardinali Morono data verba, quò à postu-
 latis suis & communibus cum rege Galliæ initis consiliis di-
 scederet, quod ab alieno ope tantis malis subsidium frustra
 expectauerat, à propriis sibi sumendum existimauit: & Ma-
 ximiliani filij, optimi iuxta ac prudentissimi Principis, con-
 filio usus, de controversis Augustanæ confessionis articulis
 amicè conciliandis serio cogitare coepit. Sed dum mediis
 quærendis vacat, nec idoneam conciliationis viam inuenit,
 mors accedit atra, quæ cogitationibus, in genere quidem,
 præsertim si zelum spectes, tanto heroe dignissimis, indixit
 silentium. At Ferdinandu sua laus maneat perennis: nam &
 in magnis multum voluisse sat est.

MAXIMILIANVS II.

PRÆLIVM atrox inter Daniæ & Sueciæ reges commissum fuerat, multis militum millibus vtrinque desideratis, paulò ante Ferdinandi Cæsaris obitum. In Vngaria Turcæ magna manu grassabantur. Germania intestinis morbis laborabat. Imperio protectorem excitauit Deus Maximilianum II. principem sapientissimum à Septemuiris electum, qui de rebus Vngaricis ante omnia sollicitus, quamprimum curauit, vt hostium progressus reprimerentur. Ideò Lazarus Suendius, nobilis Sueuus, consilio, vigilantia, fortitudine, celebritate, & disciplina militari inclytus, sub Maximiliani initiis multas arces & dominia Vngariæ amplissima Turcis feliciter eripuit, atque Maximiliano subiecit: vnde facillimi aditus & progressus in Transsylvania patuerunt. Cùm autem Augustus Saxonie Elector belli Vngarici difficultatem non ignoraret, Cæsareano exercitu mille equites selectissimos suis impensis ad quinque menses subsidio misit, quibus alij cccl. Volones accessere, magna parte nobiles, quorum obedientiæ ac fortitudo militaris in eo bello maximè enituit. Comes Salmensis consilio inito cum Albæ regalis Iudice quodam, urbem fatali stratagemate occupasset: sed à Cæsare tempestiuè monitus pedem re infecta retulit. Causa fuit, ad locutio quædam de pace, quam per legatum inchoatam Cæsar absolutam cupiebat. Princeps enim, si quisquam aliis suo seculo, fuit quietis, præsertim in laceræ Vngariæ gratiam amantissimus.

Eodem anno cœ 1574. Pontifex missio in Germaniam Vintimiliensi episcopo egerat, vt concilium Tridentinum promulgaretur, & Ferdinandus Cæsar quām se paratum ad obsequium ostendebat, tam instanter vrgebat, à Carolo archiduce & Alberto Bauaro admonitus, suorūmque periculo incitatus, vt gratia calicis etiam laicis (vt vocant) à Pontifice fieret, eāmque in rem Viennâ ad eum literas dederat xvi. Calend. Mart. cùm Non. Febr. Bauarus item ad Pontificem scripsisset, quibus & calicis usum pectentibus concedi postulabat, idq; ambo illi Moreno & Lotharingo Cardinalibus & Archiepiscopis imperij Septemuiris probari aiebant, tum etiam petebant, vt ratio iniretur,

qua non solum sacerdotes, quia assertis suis cōiugiis scip̄os ab Ecclesia separassent, retentis v̄t cunque in contubernio assertis illis vxoribus, eidem Ecclesiæ reconciliari possent: sed etiam benignè indulgeretur, vt ad exigas Catholicæ religionis reliquias conseruandas iis locis, in quibus presbyteri eo numero, qui sufficiat, haberī non possunt, ab episcopis viri laici iustæ ætatis ac doctrinæ, vitæ inculpatæ ac bonæ famæ, ad ministerium altaris & alia sacerdotalia munia ordinari & admitti queant, & alterum quidem concessit Pontifex, alterum omnino negauit. Quapropter Maximilianus Cæsar aliquot mensibus post Ferdinandi Patris obitum, per Prosperum Arcuensem Comitem, datis ad Pontificem literis mense Nouembri, cum eo egerat, vt quo ad sacerdotum coniugia, aliquid de seueritate remitteret, & Noricis, Boiis, Quadis, Marcomannis & Pannoniis ea in re gratificaretur. Nam calicis concessionem eum fructum, quem optet, minime adferre posse, nisi & ea in parte penuria sacerdotum laborantibus prouinciis subueniat: nec rem diutius differri debete: alioqui timendum esse ne breui eō deueniatur, vt ne hoc quidem remedium sero adhibitum huic lethali Ecclesiæ vulneri saoando sufficiat, & beneficij sperati procrastinatione fiat, vt semper difficultior eius curatio sit.

Addita literis erat succincta argumentorum pro Sacerdotum matrimonio contra cœlibatum enarratio, cum mandato, vt breuis ille commentarius Cardinalibus communicearetur: cuius summa hæc erat, Negari non posse virtusque testamenti testimoniis uxores sacerdotibus permitti: & constare, Apostolos ipsos, paucis exceptis, coniuges habuisse: quod autem Christus mandauerit, vt post eorum vocacionem se ab uxoribus separarent, nullo loco reperiiri. Liquere item in prima Orientali & Occidentali Ecclesia, vsque ad tempus prohibitionis à Calixto factæ sacerdotum coniugia libera ac licita fuisse. proinde cum natura nostra fragilis sit, & omnium ætas in adolescentia ad malum prona, cum caro sit stimulus peccati, & arctissima sit continentiae via, paucique reperiantur qui carnis stimulum non sentiant, & in igne positi non ardeant, sitque talis ignis concupiscentię ad perniciem deuorans, Dionysium Corinthi episcopum prudentissimè Pinyum suffraganeum monuisse, ne cœlibatus onus tanquam necessarium fratribus imponeret, sed infirmitatis pluriū haberet rationem. Sic Paphnutium in Nicenâ synodo honorabileis confessum nuptias, & concubitum

hincum cum propria vxore castitatem esse afferentem, suasse Patribus ne cœlibatus legem dicerent: grauem quippe esse causam, quæ aut ipsis sacerdotibus aut eorum coniugibus scortationis causam præberet. Id si olim sancte ac sapienter dictum, & ut inde honestati, hinc infirmitati hominum subueniretur, necessarium existimatum est, nunc profectò hoc infelici seculo verum esse, quo vix inter multos unus reperiatur, qui castum præstet cœlibatum. Nam omnes ferè publicos esse scortatores, cum maximo animarum discrimine & populi offensione. Præterea, eam Sacerdotum esse penitiam, ob vetitum matrimonium, vt scholæ theologorum apud catholicos vacuæ sint, & spretis episcopis omnes ad sectariorum scholas profugiant, ibique qualquali manuum impositione accepta se passim ingerant, sintque Ecclesiæ Catholicæ, supra quam credi possit, dedecori: qui tamen libertate coniugij permissa, omnes in Ecclesia nobiscum manarent.

Proinde, ex Ecclesiæ bono videri, vt ipsa contraregule severitatem ea in re aliquid indulgeat, & liceat viris sacram vitam professis, vel in cœlibatu permanere, vel matrimonium contrahere. Deinde, vt honesti mariti, qui docti & Ecclesiastistarum rerum periti sint, ad sacros maiores ordines admittantur. Postremò, vt cum Sacerdotibus, qui iam antea contra constitutiones sacras matrimonium contraxerint, in tantum ministrorum paucitate dispensetur, & iij per Ecclesiam gratiosè tolerentur, ac denique vt ministrare possint ipsum conscientiis relinquatur. Valde enim absurdum esse, sacerdotes coniugatos remouere, scortatores vero, qui contra legem diuinam & humanam simul peccant, delinquentes pati. quod si iij castitatis voto adstringendi videantur, certè ad sacerdotium promoueri non debere, nisi qui proœcta iam ètate sint, & de quibus spes certa concipi possit, ut cœlibatum piè & in uiolatè colant. Nec vero satis firmum eorum argumentum videri, qui propter conseruanda bona Ecclesiastica cœlibatum mordicus retinendum censem: quippe iis reputandum esse, an deceat Ecclesiæ tot animorum periclitatione conseruandis bonis in uigilare, cum eorum indemnitati per solemnes descriptiones, pérque alias eiusmodi legitimas cautiones abundè prospici possit. His tamen rationibus & argumentis, quantumuis instante Cesare, & re ipsa urgente, nihil à Pontifice, iam post Concilium semel dimissum securò, impetrati potuit.

Nec à proposito tamen Cesare destitit, sed primis impe-

rij auspiciis, vt ditionum suarum populos partim captata quibus poterat iustis rationibus ipsorum benevolentia, partim impendentis periculi ostentatione, ob cruentum in Vngaria contra Turcas bellum, ad constantiam hortabatur, & pecuniam, milites, arma, cæteraque ad tantum bellum necessaria parabat, cumque videret, in Bohemia præcipue & Pannonia superiore passim tremere homines, quod de calicis in Cœna vsu & sacerdotum coniugio à Tridentinis patribus postulatio non esset satis factum, vt eos placatores & paratores ad omnia haberet, & ipse apud Pontificem urgebat, vt promissa quorum spem Ferdinando & sibi à Pontifice per Cardinalem Moronum, dum Concilium urgeret, factam meminerat, tam necessario tempore representaretur. Nec abnuebat omnino Pontifex, cuius potestati hoc negotium à Concilio indecissum permissum fuerat, à Morono persuasus, & ab ea re antea non ita alienus, sed Cardinalis Paceci instigatu, Philippus Hispaniarum rex exemplum in Belgio veritus Petrum Aulam eodem tempore, quo Cæsarem legatos mislurum intellexerat, Romam mittit, qui Pontificem ab eo consilio dehortaretur, tanquam Ecclesiæ summè pernicioso, his maximè rationibus: quod minimè exspectandum esset, vt ea re sectarij placati ad officium redirent, sed potius vendendum, ne hoc illis ad maiora audenda animos faceret, nam ita ingenium eorum esse, vt non iniquum petant, vt æquum ferant, sed potius ab iis, quæ æquitatis speciem in se habere videntur, ducto initio, per ea ad iniqua postulata impetranda sibi gradum faciant. Itaque potius esse, vt illis spes omnis præcidatur, & moneantur, ad uniuersem Ecclesiæ pertinere, ne plus iis quam aliis concedatur: vt cum unius & eiusdem Ecclesiæ Romanæ membra sint, eadem sacra ritus, ceremonias cum cæteris colant. Itaque Pontifex, instante Cardinalium collegio, re dilata, & renouata in posterum spe, in præsentiarum Cæsaris petitionem elusit.

Solimanus Turca, qui bellum aduersus Melitenses equites meditabatur, vt vafro commento Cæsarem partim sumptu graui exhaustaret, partim ne ulterius in Vngaria progetderetur inhiberet, episcopum Cibiniensem ablegat, qui eum ad pacem cum Joanne Vaiuoda Turcarum fœderato cole dam hortaretur, venit & Viennam ad Cæsarem, cum Ioannis mandatis, Stephanus Bathorius, Sigismundi Augusti Poloniae regis, qui Ioannis auunculus erat, orator, verum hæc astutè grecabantur à Turcis, vt à cursu victoriae Maximilianus, cui omnibus rebus impar erat Johannes, auocaretur, &

Solimanus interim vireis suas aliò posset conuertere. Dum hæc geruatur, Principes ac ciuitates ad littus maris Baltici, cōmercio intercluso propter bellum in mari Boræo feruens, non cessabant per legatos Daniæ ac Sueciæ reges urgere, ut inclinaret ad pacem. Maximilianus autē statim post Rostochiensem conuentum superiore anno pacis causâ institutū, sed recusatū, per Dani & Saxonis legatos sollicitatus fuerat, ut imperiali mandato omnē ex Germania armorum commeatū ac merciū importationē in Sueciam prohiberet. Cæsar prius p̄mulgari mādatū noluit, quā interpellato rufus de Cōcordiæ rationib. in eūdīs Sueco, missōq; ad eū nuncio, ut cōtrouersias cū Polono, Dano, ac Lubecēsib. sibi permetteret, & inducias interea coleret. Cū is diutius detinetur, mādatū tādē Decēbri mēle, cū Viēnæ esset promulgauit.

Diuersa parte cū Rostochij tumultuaretur, inter Senatū ac plebem orta dissensione, ex eo quod Senatus publicatū rationum ius ad se traheret, plebs contra auctoritatem suā intercedere debere contenderebat, Megalopolenses Duces, Io-hannes Albertus, & Ulricus, qui ius sibi in ea ciuitate à multis annis vindicabāt, iuris viam primū erant sequuti, & tādē eō res deuenerat, ut Jo. Albertus intra vrbē admissus gubernationis publicæ statum immutaret. Post biduum, ad finem Octobris exercitum introducit, grandem pecuniæ vim in belli suscepti sumptus numerati sibi iubet; postremō, arma ciuibus adiunxit: ut non iam de cōtrouersiis inter se componebāt, sed de placando Alberto & intolerabili iugo à cōtrouersiis liberis repellendo consultarent. Dum in eo sunt, & summa dissimulatione Alberto nihil præter ciuitatis tranquillitatem cupere se dicit & rebus constitutis exercitum sine noxa dimissum semper confirmaret, interuenit aliud quod res compositas planè disturbauit. Nam Ulricus Alberto frater, cū se in scio expeditionem suscepit, & à Rostochiensibus fratrem admissum indignaretur, exercitum colligit. Cæsar cum mandatis suis aliter usum Albertum atque voluisse doleret, literis Viēnā Cal. Decemb. datis valde displicente sibi hanc Alberti expeditionem testatus est, & statim militē dimitti mādat. Verū Alberto ipsius Cæsar's imperium cauſante, quōd q; modū executioni preſcriptum egressus eset, excusante. Nec cuiquā alijs molestiā aut periculū suo limite cœaturum ſpondēte, rufus Cæsar mādatū prius repetit, & cautionē Rostochiensibus datā de priuilegiis eorum non violādis, ſeruari, ac fūdos & prædia in prima obſidione occupata restitui iubet, cūm q; tē omnē ad Megalopolēsib. fra-

trum certamen redire cerneret , per legatos inter fratres ius dicit,& copias dimitti curat: eò magis de hoc discidio componendo sollicitus, quod alterum ex fratribus Dano , cuius affinis erat, alterum Sueco fuisse intelligeret : & veteretur ne ex ea occasione bellum externum in Germaniam attraheretur,& ita auxilia ad bellum Turicum necessaria retardarentur. Tandem, post varias turbas legatorum prudentia pacatas decretum est ut arx Rostochiana in Cœfatis tanquam sequestri potestatem permitteretur,& aliquanto rursus tempore elapso controuersia omnis sub anni 1566. initium est composita, Megalopolenses urbe egressi abeunt, Ulricus danum , Albertus in Borussiam ad sacerdotum suum contendit, ut ex rerum inibi turbatarum occasione aliquod emolumen-
tum caperet.

Inter hæc Cæsar et si de induciis cum Solimano non desperaret, tamen per indicia & captiuorum confessiones certior factus ad arma Vngariæ inferenda Turcos se compare, & Iuliam ac Sigethum oppugnare decreuisse , se quoque ad bellum parat , & comitia Augustam Vndelicorum indicit, vbi in commune ad propulsandos communis hostis impetus consultaretur , & in eam rem vires ac sumptus suppeditarentur. eo ipse ante alios Principes venit. Actum de pace firmando inter Danum ac Suecum , inter nonnullos Germaniæ Principes, de subsidio contra Turcas, de pace publica, de camerae Imperialis emendatione, nonnullisque aliis ad Imperij dignitatem pertinentibus. Sed urgente belli Turcici mole, omnes controuersiarum, & de religione expostulationes in aliud tempus dilatae sunt. Comitiis interfuit Franciscus Commendonus Cardinalis , Pij V. pontificis nomine, cum mandatis, vt si religionis negotium in Comitiis agitaretur, ipse suo nomine publice protestaretur , & Pontificem in cunctos qui aderant tam seculareis, quos vocant, quam ecclesiasticos principes suæ censuræ gladium districturum interminaretur, contra Cæsarem imprimis , quem imperio, regnis ac ditioribus, successionibus & iuribus, que in Hispaniæ regno ei competebant, priuaturus esset. Quum res alio loco tunc essent, scripsit Commendonus ad Pontificem , & protestatione ea nihil opus fuisse monuit. Verum homo imperiosus , & qui nullas rationes voluntati suæ contrarias admitteret, alteris mandatis enixè magis quam prius iniunxit, vt si mentio villa de religionis negotio in Comitiis fieret, publicè protestaretur , & Cæsarem atque alios principes Pontificis nomine à communione Christiana exclude-

tet. Sed neque secundis mandatis Cardinalis, Pontifice prudenter, paruit: & commodum accidit, ut cum secunda mādata venerunt, iam illud caput in aliud tempus dilatum es-
set. Non cessabat tamen Pontifex Cæsarem imperiosè per
Commendonum monere, ne quid tale in deliberationem
in Comitiis deduci in posterum pateretur, in eo pernicio-
sè peccasse Carolum V. qui dum se negotiis sacris immi-
scet, confessionem Augustanam à Philippo Melanchthonē
conscriptam in comitiis proponi passus esset, & alio postea
remedio auctoritate Cæsarea intempestiuè usus, dū ita reli-
gioni consultum putat religionem in discrimen reuocauer-
it. id rerum confusioni & turbis quæ postea in Germania
incrementum sumpserint causam dedisse, facturūmque me-
lius maximum alioqui Imperatorem fuisse, si venienti ma-
lo, cuius principia semper infirma sunt, naturè ac validis
remediis occurrit, nunc libertate pessima in imperio per-
missa Spiritum vertiginis inter Germanos regnare, & quot
homines à Romana religione dissident, tot sectas esse, flu-
tuantibus in incerto opinionum salo ingeniis, & cum loco-
rum mutatione pariter mutantibus, eam opportunam oc-
casione à Deo oblatam videri, vt malo tempestiuum reme-
diū adhibeat, dissidētibus partitus, quæ bene cōuenien-
tes difficilius ad officium reduci possent. In primis procu-
randum esse, vt concilium nuper Tridenti celebratum v-
bique in Germania publicetur: & si per vniuersam Germa-
niā nō possit, saltē in ciuitatibus quæ maiorum religio-
nem retinent, promulgetur, & quoniam episcopi quomodo
diocesanas Synodos celebrare possint, eo impediuntur,
quod Metropolitani, à quibus initium fieri debuit, nondum
suas celebrauerint, agendum cum Moguntino ac cæteris ar-
chiepiscopis, vt concilium Tridentinum in Synodis suis
recipient, vt eorum exemplo suffraganei in diocesi quis-
que sua illud publicandum cureat, monendum verò Col-
oniensem, vt confessioni iuxta Concilium Tridentinum pro-
mulgatae, & in cuius verba tot aliarum Gentium episcopi,
etiam in Germania plerique iurauerunt, & ipse subscribat: si
facere detrectet, censurę ecclesiasticę subiiciatur, & Septem-
virali digoitate abdicetur. Hæc prius ille Pontifex.

Is præterea prouidendum esse Cæsari volebat, quando-
cumque contigerit Magdeburgicum præfulem nuper ele-
ctum fatis concedere, ne Septemvir Saxo in eam matricem
totius Germaniæ Ecclesiam, vt iam in tres vicinos episco-
patus fecerit, manus iniiciat, eandem de Argentiniensi epi-

scopatu sollicitudinem esse debere : libros sectariorum (eo nomine designans pontificiæ sedis aduersarios) & improbatæ lectionis quantum fieri potest prohibendos esse : pios vbiue (nempe à Pontificiis scriptos) & publicandos cū cura & disseminandos: præmia viris doctis à præsulibus opulentis proponenda, & seminaria vbiue in ciuitatibus, iuxta cōciliij Tridentini præceptuī, instituenda. Postremò, agendū cum Cæsare ac reliquis Imperij principibus, vt quā primū Palatini Septemuirī audacia, qui aliam à confessione Augustana in comitiis recepta amplectatur, & præsules vicinos tum in ditione sua, tum alibi diuersis vexationib. oppugnet, auctoritate imperiali coerceatur. Quod de Palatino addidit, non frustra fuit: nam Commendonus captata occasione, cū videret Christophorum Virtembergicū & Wolfgangū Baūatum Bipontinū infeltis animis in Palatinū ferri, qui præter Romanēsem & Augustanā cōfessionem, nullas alias in Imperio admittēdas cōtēdebāt, ita enim in Comitiis decretū esse, Cæsarem adit, & vt tam commodā occasionem Palatinum ex imperio expellendi minimè prætermitteret, admonuit Cæsar habito super ea re principū cōsilio Palatino denātiauit vt Septēuiratu cederet, aut ministros verbi & orthodoxos Theologos ditione sua excluderet. Ille verò heroica aniīni præsentia, prolatis in mediū sacris scripturis, & se Religionis veræ patronum dignissimum, & nobilissimum Imperij membrum ita Cæsari, principib. & proceribus Augustæ cōgregatis, approbavit, vt quam aduersarij multi sperabant, ipse præclaram retulerit victoriam, ditiones iuste à nōnullis usurpatoribus vi repetitas cū Religione verè Christiana retinēs. Præterea communis hostis, nempe Pōtificis, astu fieri demonstrauit, vt commissis inter se Imperij principibus, publica Germaniæ pax turbaretur. Augustus etiam sa x Septemuit iam totus in bellum Grombachianum intentus, & qui veretur ne turbata imperij quiete, hostes maiores animos simulac viteis sumerent, intercessit, & cū aliis principibus, qui Palatinum oppugnabant, manus coniungere recusauit: itaque Pontificis, Comendoni, pontificiorum, & aliorum coniuratorum conatus, irritus euasit.

Venerat ad comitia Cal. Maiis ad Cæsarem Bernardinus Bocatellus Redonum episcopus de nuptiis Caroli Francorum regis cum Elizabeta Austria Cæsaris filia acturus, à quo quinque post diebus Hispanorum & Thomæ Petrenoti Chantoneti in primis, qui res Philippi Hispaniarum regis apud eū procurabat, cōsiliis & violentia circumuento, respon-

responsum indignum iuxta & insolētiæ plenum scriptis mā-
datū tulit. Postulabat. n. vt his cōditionibus mattimoniū ex-
petitum coatraheretur. Ante omnia neimpe rex Metensem,
Tullensem, ac Virodunensem episcopatus, insignia sacri im-
perij Romani membra, in pristinam libertatem ac eū statū
restituat, in quo steterant priusquā ab Henrico regis paren-
te occupati ac distracti fuissent, vt rex confessim, bona fide,
ac sine vlla dissimulatione expressè renuntiet paci & amici-
tiæ principis Turcici, seq; Cœsari contra illū coniungat: atq;
vt vniuerso terrarū orbi de istiusmodi coniunctione ac cō-
federatione certò constet, mox valida auxilia, in regnū Vn-
gariæ destinet, eāq; in limite suis sumptib. alat. Si contigerit
vt inter Galliæ & Hispaniæ reges bellū oriatur, liberum sit
Cœsari cū Hispano iurum domus Austriacæ & Burgundiæ
defensionem suscipere. Hnic scripto viua voce Redonensis
paulò post respondit, conditiones quæ proponerentur, non
matrimonij, sed pacis leges videri, quæ victo à victore præ-
scriberentur; nec verò res Regis cō redactas esse, quicquid
Hispani iactitent, vt quiduis pati & facere cogatur, qui qui-
dem extra matrimonij causam, cūm se belli Turcis inferen-
di occasio obtulerit, vt primarium inter Christianos reges
regem decet, in sumptum & periculi partem vltro ventu-
nus sit: sed nolle vt potius vxori suæ quām sibi Orbis Chri-
stianus ob id obstrictus sit, nā alioqui æqualia omnia esse,
& dignum regem tali coniuge, eaque verborum modestia
hactenus negotium tractatum, vt expetendum fuerit alia
ratione ab eo discedi. Aliis postulatis quum abundè satisfe-
cisset Redonensis, qui Hispanicas artes sapienter detexit,
dimissus est à Cœsare, qui postea Redonensis animum simul
& prudentiam laudauit, cūm se à Perrenoto & Hispanis de-
ceptum intelligeret, nihil aliud molientibus, quām vt rebus
Gallicis, vel cum Cœsar's iactura, incommodarent, quod &
Cœsar per Philippum Rheni Comitem, Gallis valde addi-
ctum, qui aderat, Redonensi non obscuris verbis significan-
dum curauit, ita negotium illud omnino tunc intermissum,
quadriennio post retractatum, ac tandem, omissis istis con-
ditionibus, confectum est.

In iisdem Comitiis Grombachius cum sociis, qui Herbi-
polensē episcopū interfecerant, vrbē ipsam postea interce-
perant collecto exercitu, atq; hostiliter expilauerant, pacem
publicā in Franconia turbantes, noua proscriptione, omniū
Imperij ordinū consensu aggrauati sunt. Eo miserat Joānes
Frideric⁹ dux Saxonię, Grōbachij patronus legatos suos, in-
terhos præcipuū Heinricum Husanum Iurisconsultum, virū

facundissimum, qui proscriptorum negotium apud ordines ageret, & prioris proscriptionis vigeret abolitionem. Sed is, partim amicis dissuadentibus, partim negotij pondere deterritus, Joanni Friderico, ut proscriptos dimitteret, literis consuluit, eumque salutares monitiones spernentem defens ad alios transiit, quorum consiliis imprudentem principem à concepta pertinacia abduci posse arbitratus est. Solutis Comitiis Cæsar in insula Danubij nauibus concensus Ratisbonam pergit, ac ciuibus in fidem receptis contendit Viennam. Cum appulisset, die v. Junij, biduo post in Vngaria bellum furenter exarsit. Palotam Turcæ obsident, sed pedem intra octiduum referre coguntur, copiis Cæsareanis ad auxilium obsessorum alacriter accedentibus, atque prius Calendas Iulias Vesprinum oppidum cum arce partim astu, partim vi expugnant Maximiliani milites, trucidatis omnibus praesidiariis Turcis, qui paulò ante captiuorum ingentem numerum crudeliter decauerant. Bassa Pertauus Julianam ciuitatem cum arce tandem obtinuit, Ladislai Keretschinij perfidiâ, cuius ipsum paulò post puduit & pœnituit, sed nimis praesidiariorum respectu, qui à Turcis mactati sunt. Paulò ante, nempe Augusti xii. collecto potentissimo exercitu, Cæsar cum suis Viennâ mouit, Altenburgum, vicum duobus miliaribus Jauarino distante, ubi copiis universis conuentus fuerat indictus. Iis præerat Ferdinandus Cæsaris frater, & dux totius exercitus. Suendius paulò post Tartaros 10000. fudit, Begorum Turcicorum altero interfecit, altero lethali plaga vulnerato, dein arcis quasdam expugnauit. Sequentibus diebus multis cladibus Turcæ attriti sunt, nec tamen ab incepta Sigethi obsidione destituerunt, sed tandem arcem, fortiter à Nicolao Comite Seronio, laude immortali dignissimo heroë, multis Turcarum milibus in variis oppugnationibus tormentorum & gladiorum vi cæsis, defensam, expugnarunt, Christianis ferè omnibus & Comite ipso interfectis: Solimano ante expugnationem in castris morte sublato.

Tartari & Turcæ tunc victores, mense Octobris & Novembris tum Vngariam, tam Transsyluaniam miserrime depopulati sunt. Nam etsi Selymus Solymani successor Vngariâ discessisset, Constantinopolin versus, ut suis rebus mature consuleret; tamen Joannes Transsyluaniae regulus, ad cuius auxilium Bassa cum non numero Tartarorum equitatu relictus erat, non quiescebat. Tokaium anno superiori sibi ereptum obsedit, Jacobo Ramingero arcē fottiter

propugnante. Dum in incœpto pergit, nūcius adest, Transylvanianam igne ferroque à decem Tartarorum millibus deuastari. Obsidione relata, Tartaros primū monet, vt abeant quieti. Illi in incœpto pergentes, Joannem ad noua consilia sequenda cogunt: nam iusta indignatione motus, eos adoritur ex improviso, atque circiter sex millia latronum istorum trucidat. Superstites auxilio Turcarum implorato, cladem hauc vlturi Vaiuodam Varadini obsident: quo loco, consiliis hostium elusis, clam egreditur, & satis valido exercitu contracto rursus eos adoritur, atque ingenti strage edita, 10000. nempe cæsis, innumerisque captiuis miserabili seruitute ereptis, Transsylvania pacauit. Reliqui Tartari cum Turcis & Valachis, primū in Russiam, inde in Podoliam, excurrentes, omnique immanitatis genere saevientes, cum Russiae Palatinum in arce obsidere molirentur, ab ipso cum validis copiis erumpente, ad vnum omnes occisi sunt. Tandem verò pax octēalis inter Maximilianū Cæsarem & Sélimum Turcārum Sultānum atq; Transylvanicum cōstituta est sub finem anni 1568. Ad Saxonicum bellum reuertamur.

Ad Januarij 1567. exitum, elector Augustus, bello Grombachiano præfectus, copiis ex militū & auxiliiorum concursu auctis, Gotham, in qua Joannes Fridericus Saxo, Grombachius & alij inclusi manebant, accessit, adiūctis Cæsarea-nis legatis, qui Maximiliani nomine nobiles, omnes ciues, rusticos in vrbe & arce Gothana militantes, à fide & obediētia Joannis Friderici auocarent, eōsque à iureiurando mandati Cæsarei atque officij sibi commissi vigore soluerēt. Augustus seriò illis iniuxit, vt statim relicto Joanne Friderico, arcem Cæsareæ Maiestati atq; imperio traderent, ea excederent, proscriptos traderent, facultatum, honorum, vitæ priuationem non obedientibus denuntiās: Cæsarem, Imperij ordines, & se vt constitutum imperialis exercitus præfatum, rationes excogitatos, quibus arcem ac ciuitatē Dei auxilio reducerent ad obsequium. Quo facto ipsos vt perduelles ac proscriptos, pacisque publicæ violatores, quorum honos, vita, vitæ præsidia in commissum incident, ferri flammamq; sauitiam, omni gratiæ & misericordiæ spe præcisa sensuos. At obcessis reuocationes illas, & ducis Joāis Guilielmi Johanni Friderico substituti, petitiones spernētibus, Elector fossis aggeribūsque cauatis, & castellis excitatis tā ppe ad muros vrbis copias admouit, vt ab obcessis obsidētum voces exaudirentur. Quarto autem Aprilis die præsidarij Gothani, fīgito trimestri iuramento, quo fidem suam

Joanni Friderico obstrinxerant, denuò id efflagitatum præstare noluerunt, vel quod causæ bonitati ac aduētui auxiliorum diffiderent, vel rerum omnium administrationem ini-quissimam improbarent: vnde inter se cum oppidanis coniuncti Grombachium & alios proscriptos comprehensos ex area cum cancellario Christiano Bruckio abreptos, in cuius ciuitatis deducūt: ac inox quid in vrbe factum sit, Electori, qui tūc tēporis aberat, significant, Augusto igitur aduentante, res eo deducta est, vt xiiii. die Aprilis hora sexta vespertina, Johannes Fridericus in aice Gothana custodię traditus, postridie Cæsari se dederet, petens à legatis ne abduceretur in Austriam, sed vt apud Saxoniam electorem reliqueretur. Eadem die & hora, nempe xiii. Aprilis circa sextā pomeridianam ante xx. annos à Carolo V. Cæsare, pater Johannes Fridericus senior, proditus à suis, vt vulgo perhibetur, ad Mulbergum acie victus & captus est, & qua etiā ante octenniū Melchior Zobelus Episcopus Herbipolensis fraude Grombachij peremptus interiit. De proscriptis sumpta sūc supplicia, Johannes Fridericus abductus, arx Gothana solo æquata, & exercitus dimissus est.

Hoc bello confecto Cæsar ne quid deinceps imperium detrimenti caperet vigilantissime cauit, & dum Gallia & Belgium turbis ciuilibus vexantur, comitia Ratisbonæ indicit, in quib. de subsidiis belli Turcici & impensis Grōbachianis agitur, mense Maio. Sequentे Augusto impensarum illarum rationem Erphordiensis cōuentus ad exactum calculum reuocat. Cæsar etiam veritus ne nouas turbas excitaret Johannis Friderici captiuitas in Saxonia, eum longius à natali solo abstrahendum esse, necessarium censuit. Ductus est igitur Viennam, paulò post eiusam Gotham, & ignominiosa popper vrbum traductus, effusa, quamuis copiosissimo imbre superueniente ad eouum spectaculum plebe. Præcedebant quinquaginta equites Norici, quos totidem Saxones sequabantur: deinde octo qui signa versa in terram deferebant. Quingenti circiter pedites currum apertum in quo vehabantur, stramineum pileum in capite gestans, comitabantur. Ita variis anfractibus per celebriores vrbis plateas, vt plebis oculos pasceret, circumiectus est: inde Neapolin translatus in quinquaginta armatorum custodia, domesticōq; comitatu admodum exiguo: additum tamen posse aet Cæsaris indulgentiā nonum famulitum. Dein pro omnis oratoribus, Moguntiis, Treveritens, Brādeburgensis Septemviri, uniuersa Bauariorum Palatinorum familia, Virtembergicus dux,

Landgrauius Vilhelmus, Cliuensis dux, Badensis Marchio & Hennebergensis comes deprecati sunt apud Cæsatem , vt clementiæ ac lenitatis memor supplici captiuo ignosceret, proprio quidem errore , sed aliena potius culpa , quam sua, lapsus hoc daret decori familiae, & Principum gratiæ qui pro eo intercederent. Ad has preces scripto comprehensas scripto respondit Cæsar, & excusauit se, quod petitionibus eorum in præsentiarum satisfacere non posset : nam in hac causa non suam, sed publicam imperij causam verti, & cum quotidie de nouis machinationibus afferatur, reipublicæ interesse, vt eos in potestate habeat, qui de illis suspecti sunt, tamen per dum motibus animorum sedatis metus omnis armorum ac suspicio euanescat. Ita dimissi oratores, à quibus impetratum, vt captiuus laxiori custodia teneretur.

Eodem ferè tempore, Cæsar, princeps sapientissimus, conscientiis iugum imponere detrectans, post multa Austriacorum Euangelij doctrinam expetentium, vota & postulata, duobus ordinibus, dynastis nimirum & nobilibus Archiducatus Austriae liberam doctrinæ in confessione Augustana expositæ prædicationem, in eorum arcibus, oppidis & pagis permittit: hac tamen conditione, si de ordine rituum seu aënorum in templis , cum vetustissimarum Augustanæ confessioni adiunctarum Ecclesiarum exemplo congruentie antea conueniant. Octobris xvi. regis Galliæ legato conquerenti de turbis in potentissimo regno exortis ob religionis variam professionem , Cæsar prolixè respondit , se consultissimum censere, vt inirentur rationes, quibus Christiano sanguini parceretur, & inter regem eiisque subditos mutua concordia firmaque pax sanctetur, adeoque illi regno ante florentissimo restitueretur pristina tranquillitas. Satis supérque infidelium armis, continuis incursionibus atque immensa potentia Christianorum vires attritas, nec opus esse domesticis motibus eas amplius affligere. Princeps sapientissimus parentis sui Ferdinandi mentem induerat, nempe à religionis negotio secures & flamas remouendas esse, regemque Galliæ ad mætutinæ erga subditos frequenter hortatus est , eosque probabat maximè , qui piis votis, colloquiis placidis, disputationibus amicis, conciliis denique nationalibus, vel œcumenicis, remoto factionum studio & partium odio, rem gerendam arbitrabantur, quod consilium etiam patri instillauerat , vt in Ferdinando diximus : nec reticuit, quinimo grauter aperuit Henrico

III. ex Polonia redeunti anno 1574. vt regnum Galliae, mortuo Carolo fratre, capesseret.

Sub anni 1568. initium Fuldonis conuentus multis Germanorum milibus in exteram militiam proficisceribus, ac finitimi regnis tumultuantibus, de rationibus consilia habuit, quibus pax publica, regionis & politiae respectu, in Germania confirmaretur. Fidelicus III. Palatinus Elector, mense Februarij ingentem pecuniam vim à nonnullis mercatoribus Italis secùdo Rheno Manheimij importatā, vigore decreti Cæsariani retinuit. Inde Albani ducis & Hispanorum ex Belgio querelæ, literæ, minæ, quas Elector publico iure fretus magno animo neglexit, nec Cæsar facti quietatem agnoscens amplius scrutatus est. Circa Maij initium, copiis quas Joannes Casimirus Palatinus, & Joānes Gulielmus Saxo in Galliam duxissent, patriam repetentibus, fecialis atq; legati Cæsaris & Electorum, priusquam Germaniæ fines contingeret, obuiam mittuntur, iis edicentes, ut signis conuolutis turmatim non gregatim Germaniam ingredierentur. Bellum & hoc anno habuit Germania, sed quod in ortu suo mox extinctum est. huius origo fuit quod archiepiscopi Treuirenses ciuitatem sibi nullo medio iubiebat esse contenderet, & proinde in ea obsequij absoluti iuramentum, vectigalium impositionem, senatus constitutionem, custodiad clam, executionem sententiarum, & causarum criminalium diiudicationē sibi arrogarent, quæ omnia oppidanī consuetudine vel præscriptione per possessionem quasi temporis sibi competere caussabātur. Tunc Jacobus Elsius Treuirorum præsul erat, qui iniuriam decessori suo ea in re factam vlturus, clā machinas bellicas maiores ex arce sua Ermebrestenia in cellam Palatinam per Mosellam transuhi curat, ope equitum Germanorum quos Philippus Rheni comes regis nomine conscriperat, duce Antonio Elsio patruile. Tunc, nempe Junij x. die in oppidanorum nihil tale metuentium greges & armenta impetum facit, iisque abactis, Augustam Treuirorum intercluso omni commecatu corona cinxit: & quantumuis interim mandatum de ea soluenda obsidione ab imperiali Camera Treuirenses impetrassent, per duos menses obsidio continuata fuit, nempe à IIII. Id. Junij usq; ad v. Id. Sextiles, quo die hora octaua pomeridiana post solis occasum, sed cælo sereno, Cyprianus Leouitius clarissimus astrologus tres lunas vidit, & per trias horæ quadrates notauit, quarum media vera luna fuit, vero & nauio, hoc est mutuato à Sole lumine, fulgens, cæteræ in gyrum ductæ

ductæ non nihil rubicundæ quasi sanguine suffusæ , partim albescente circulo , partim cæruleo & interiore cruento apparebant. Cum vero Cæsar & Rhenani Septemviri ex prodigio illo vbiique diuulgato , tum ex bello Treuirensi ex citato magnam imperio malorum molem impendere praesigient, mature per legatos , inter quos Hermanni Eppingeni Palatini Septemviri oratoris præcipua industria & diligentia emicuit, cum præfule & oppidanis egerunt, & principum interuentu post multas hinc inde altercationes tandem inter eos transactum fuit, his conditionibus, ut præful cauzione data, nihil molestiæ aut damni oppidanis inde creatum, cum armatis, qui legato Cæsareo fidem obstringerent, in vibem admitteretur & ciues ita se erga eum gererent, ut ei diutius apud ipsos immorari necesse non esset, de iuribus inter partes controuerfis lis ordine & secundum iuris receperam in imperio formulam terminaretur. Ita honorifice, quod ad Treuireensem , nec sine oppidanorum grauamine, perniciosi belli initii, tam vicino Belgio, quod pariter cum Gallia luctuosis flammis ardebat , Cæsaris ac cæterorum principum prudentiâ finis est impositus.

Dum in Belgio & Gallia Hispani , & alij insaniunt, Germania sub Cæsaris umbra delitescens pacem laxa fruitur, & de Cæsare suo secundum Deum cuncti canunt plenis buccis. Heros maximus nobis hæc otia facit. Ille vero, quem paulò ante mensem Junium anni 1570. Spitæ comitia indixisset, eò cum Augusta coniuge, tribus filiis & duabus filiabus quarum altera Hispaniæ, altera Franciæ regi despontata, venit. Multum his comitiis constituta sunt, ad pacis publice conservationem. Cæsar in Galliam missa Elizabeta filia, Mariam per Rhenum in Belgium cum Alberto & Wenceslao dimittit, inde in Hispanias ad Philippum deducendam. Comitiis solutis sub anno finem bellum decennale inter Danicæ & Suecicæ reges Stetini Pomeraniae conditionibus æquis fuit compositum. Tunc temporis igitur Cæsar gloriâ circumcidetus domi & foris, placide imperium administrabat. Annis autem 1571. & 1572. fuera multa in Anglia , Italia , Gallia, Belgio, vidit, fidis nouitiis & relationibus edoctus generosusque suos reges ad moliora consilia deducere, sed frustra, coactus est. Quæ ad Principum Germanorū & aliorum honorem pertinebant, procurauit sedulo. Rodolphus eius primogenitus rex Vngariæ coronatus est , xxv. Septembris anno 1572. & paulò post vila est noua stella in sidere Cassiopeæ, de qua multi multa scripserunt. Hæc cum immota

diutius anno constitit set, sub initiu anno circ 1574 prorsus evanuit. Idem Rudolphus coronatur rex Bohemiæ anni sequentis mente Septembri, & Principum consentientibus votis Romanorum rex electus est atque coronatus Ratisbonæ, mense Nouembri, annum agens vitæ xxiv. Hic uberrimæ narrationes occurruerunt in historiis vario idiomate scriptis, quæ ut summas Europæ extra Germaniā miserias depingunt, ita felicissimum imperij statum sub Maximiliano tūc 1588. annos nato demonstrant, non sine speciali quadam ac planè extraordinaria Numinis erga clementissimum principem benignitate. Dum enim Turcæ in Cypro, Hispani in Belgio, Galli aduersus suos concives armatilaniens horrendis coram Deo & hominibus indelebilem immanitatis notam sibi inurunt, Cæsar ut bonus pater familias suorum quieti prospexit censetur.

Legationem Moscouiticam audiuit mense Julio 1576. Ratisbonæ postremum suum in terris conuentum tunc celebrauit, & piè obiit, XII. Octobris, circa horam decimam antemeridianam, anno ætatis XLIX. mense II. die XII. cum praesente filio Rudolpho decreta conuentus in palatio senatorio publicarentur, atque nomina Principum, qui subscripterant recitarentur. Reliquit maximus ille Maximilianus suæ sapientiæ, pietatis & virtutis memoriam honestā & optimo imperatore dignissimam. Patriarchæ Abrahami, grauissima tentatione oppugnati, Symbolum, DOMINVS PROVIDEBIT, ut platinum in ore habuit, eos grauiter increpans, qui fortunam constituebant deam, cæloque locabant. Placatum verò dabanabat Principes qui fidei subditorum dominabantur: n̄ c peccatum grauius esse asserebat, quam conscientiis iugum imponere velle. Nam qui (inquietabat) animas torquere conantur, dum cælum ambiunt, amittunt terram. Puis disceptationibus de articulis qui beatam & æternam vitam spectant, maximè gaudebat: & quum vita nobilis ei gratularetur quod annum XLIX. climactericum superasset, mihi (respondebat) anni omnes sunt Climacterici. Religionis controversias ardentibus votis, consultationibus & priuatis colloquiis cupiebat extintas, atque sapientes viros arcessebat, vt eorum sententias de tanto negotio colligeret. Innumera extant mansuetudinis eius erga hostes suos exempla, fideles seruos singulare quadam charitate complectebatur, proceres & principes viros multa reuerentia prosequutus heroico ingenio animique roboce invicto predictus semper apparuit, interpretariæ inimicus, philosophæ naturalis

naturalis studiosus, linguarum multarum notitia, exquisito iudicio, tenaci memoria ornatus, eloquens, grauis in dicendo numerosusque, æQUITATIS & LIBERALITATIS CULTOR, auaritiae censor acerrimus, agriculturæ præsertim hortensis amans. De sacris Scripturis, de animarum immortalitate, de vita æterna, de mortuorum resurrectione frequenter disseruit, & peculiares de his Capitibus Christianæ doctrinæ libellos sèpissimè legit. Cum Augusta Maria, Caroli V. filia, patus sua, vixit xxix. annos, quam & vnicè atque persecutor dilexit. xvi. liberos ex eadem suscepit, nouem aut decem superstitibus relictis, nempe Rudolpho, Ernesto, Carolo, Alberto, Wenceslao, Maximiliano, Matthia, Maria, & Elizabætha. Cum annis XII. bono omnium Augustus imperasset, animam beatus beatorum Deo reddidit XII. Octobris. xxvi. die mensis eiusdem Fridericus III. Rheni Palatinus, Septemvir, imperij archidapifer, princeps pius, pacificus, sapiens inter pias meditationes, adlocutiones & preces migravit ad Christum. Tunc flere non potuit, oculis suis orbata Germania.



R V D O L P H V S I I.



AXIMIL'ANI II. Rudolphus II. filius & successor, diuturnæ pacis bellorumque in Vngaria & adiacentibus prouinciis contra Turcas gestorum tempore, res Germanię & subditorum per legatos in magnam tranquillitatem perduxit. Viennæ natus 18. Julij 1552. Imperium inchoauit circa finem Octobris 1576. reliquit moriens 10. Januarij 1612. Pragæ.

Anno 1577. & sequentibus inferior Germania præsertim, grauissimo bello concutitur: superior quiescit ad annum 1583. circa cuius initium Gebhardus Truchsesius, Coloniensis archiepiscopus & elector, ducta vxore Agnetae Johannis Georgij comitis Mansfeldensis filia excommunicatur à Gregorio XIII. R.P. In eius locum suffectus est Ernestus, Alberti Bauariæ Ducis filius, qui armata magnaque manu archiepiscopatum & electoratum Colonensem, fugato Gebhardo, occupauit.

Induciarum prorogatio inter Rudolphum Cæsarem & Annuratem III. Turcum Sultanum à Cal. Jan. anni 1584 ad sequens decennium absolutum, est instituta. Sed anno 1588. Christianorum exercitus contra Turcas in Vngaria superiore prope Sixum oppidum, die 8. Octobris feliciter dimicavit. Germani enim & Vngari milites, quorum numerus 1072. homines non excessit, congressi sunt cum decem milibus Turcarum, ex quibus cæsi sunt 200. totidem ferè capti, alij in nemoribus ac syluis latentes à rusticis sunt interfici. Ex Christianis desiderati 170. præcipue Germani, quorum maior pars Silesij fuere, fortissimi bellatores.

Mense Januario anni 1589. ineuntis pacis fœdus initum est inter Cæsarem & Polonum, vnde sequuta est Maximiliani Austri, Rudolphi fratris liberatio circa Julij finem. Pace autem inter Turcas & Persas constituta, bellum Vngaricum annis sequentibus instauratur, Cæsare ut antea, post etiam in arce Pragensi delitescente, & administrationis rerum curam primariis relinqueente. Fuit enim princeps placidus, pacis & otij amans, qui gemmarum & huiusmodi deliciarum contemplatione, collectione, & artificiosa dispositione, mirificè delectatus est, Martis attibus valere iussis, per legatos tamen & belli duces, Vngariam, Bohemiam, Austria, & alias prouincias multos annos fortissime protexit.

Argentinensis belli initia mense Maio, ann. 1592. Turcae autem paulò post ex Bosna magnis copiis progressi, Wihetziuum elegantissimum Croatiae oppidum, vna cum arce munitionissima, ex insperato aliquandiu obsessum & oppugnatū, die 19. Junij deditione occupant, nondum finitis anni 1584. induciis. Inde noua cladium facies, Croatia vastata mense Augusto, Septembri autem Bosnensis bassa, iusto exercitu instructus, Sissecki arcem & monasterium ad Saui & Colapis confluentem arctissima presit obsidione, siveque dierum spatio ingenti tormentorum bellicotum fulmine indefinenter conquassatam oppugnauit. Verum heroica Nicolai Miccaci Abbatis eiusque præsidiorum virtute repulsus, compluribusque Turcis desideratis, non sine dedecore canere receptui coactus est.

Anno autem 1593. die 22. Junij memorabili prælio, collatis signis, manus conseruerunt ad Sisseckium in Croatia Turcae & Christiani. Exercitus Cæsareanus vix 4500. Vngaris & Germanis constans militibus, è præsidii vicinis collectus,

lectus, viginti Turcarum millia profligauit victoriāmque
ē cœlis delapsam obtinuit; Hazane Balla, Bosnensi, Giafero
bego Zernikensi, Sinane bego Clissensi, nonnullisque aliis
præcipuis begis seu prouinciarum præfectis & belli ducibus,
selectissimorum item militum Turcicorum octodecim mil-
bus ferro globulisque sclopetorum ad interacionem cæsis,
aliis Odecæ & Colapis rapidissimorum fluminum vortici-
bus in fuga absorptis, Cæsareanorum vix quinquaginta de-
siderati sunt. Parta hac victoria Sisseckium liberatum, men-
se Augusto sequentis anni, nempe 1594. Turcæ denuò oc-
cupant. Sinan bassa, ducto ex Thracia milite, sub fidem Se-
ptembris Vngariam ferro & igne vastare cœpit, Vespriniò
expugnato, Palotta deditio capta. Albam Regiam Cæsa-
reani frustra tentant. Hazanes autem bassa Budensis, obse-
flos Abbæ regiæ incolas liberaturus, cuī fortissimis viginti
milliūm prætorianorum militum cohortibus approparet.
Sed à Cæsareanis, octo millibus exceptus, die 3. Nouembris
profligatus est, in acie cæsis præsidiariorum & aliorum mi-
litum Turcarum millibus multis, dein alii, qui fuga sibi
consulere cupientes, in locis palustribus suffocati, vel lethæ-
libus vulneribus percussi perierunt. Cæsareani ducenti læsi,
& fortiter pugnantes, desiderati sunt.

Christophorus Teuffembachius, superiorum regni Vn-
gariæ partium pro Cæsare Capitaneus generalis, & Cassio-
viensis Præfectus, adductis secum circiter viginti mille mili-
bus, in vicinam Turcarum regionem impressionem fa-
cieas, die decimosexto Nouembris Zabatikam arcem ag-
geribus & fossa profunda egregiè firmatam, præsidiariis om-
nibus interfectis expugnauit, die verò 17. eiusdem mensis,
(cum biduo ante Beglerbegi Græciæ, Bassæ Budensis, & Te-
mesvuarientis auxiliares copias, castra Germanorum & Vn-
gatorum hostiliter inuasuras, ad interacionem deleuisset)
Fileckum arcem, tum loci natura, tum opere humano insi-
gniter munitam, incolis & præsidiariis Turcicis dimissis,
occupauit: & paulò post undecim alias arces diuersis anno-
rum superiorum interuallis Turcarum imperio subiectas, &
ultra 30. annos ab iisdein propugnatas, trium hebdomada-
rum spatio vna hac expeditione recuperauit, multa Chri-
stianorum millia ex seruitutis tristissimæ & tyrannidis im-
manissimæ iugo, quamplurimis Turcis interfectis, & octo-
gentis pagis tributariis subactis libertauit, atque præda op-
ima potitus est.

Nouogradum in Vngaria superiori à Matthia Archiduce Austriæ decimo die mensis Martij anno 1584. expugnatum. Eodem mense Bresenza, Buzirum, & Segestum arces Vngariæ inferioris non procul Canisia distantes à Comite Serinio & Nadastio expugnatae & cœptæ sunt. Frustra autem Cæsaræanus exercitus duorum mensium spatiū obsedit & oppugnauit Hatvanum munitissimum Turcarum propugnaculum in Vngaria. Mahumetes Græciæ Beglerbegus, Bassæ item Budensis & Temesvvariensis, Hatvani obsidionem soluturi, copiarum suarum armis, multitudine & viribus confisi, Cal. Maij in campo Turano cum Germanorum & Vngarorum turmis congregiuntur, & post acerbum conflictum profigantur, exercitusque ipsorum aliquot Turcatum millibus cœsis, dissipatur. Matthias collecto magno & florenti exercitu, sub idem tempus Strigonium obsidione cingere & oppugnare cœpit. Verum post multos conatus, non sine graui Cæsareorum damno, obsidio illa metu Sinanis Bassæ, valido exercitu ex Asia misso, aduentantis, rursum soluta est sub finem mensis Iunij.

Sinan Bassa Tattam arcem duobus Comarâ milliaribus distantem, die 21. Iulij, & triduo exacto castellum Montis S. Martini oppugnauit atque ditione occupauit. Iaurinum, vulgo Raab, præcipuum non tantum Vngariæ, sed vniuersæ Christianæ Reipublicæ aduersus Turcas propugnaculum, duorum mensium interuallo à Turcis obsessum & oppugnatum, sub finem Septembris à Ferdinando Comite Hardeccio, arcis præfecto, permissa sibi suisque vitæ incolumitate, vna cum omni apparatu bellico Sinani bassæ traditur. Iaurino dedito, Pappa quoque à præsidiariis Vngaricis incensa & deserta, in manus Turcarum Calend. Octobris peruenit. Sed Comara, arx ad Danubium munitissima, Erasmi Braun præfecti sui virtute, præsidiariorum item militum armis fortissimè defensa contra Sinanem, Turcæ ad solvendam obsidionem compulsi sunt circa diem 13. Octobris.

Anno 1595. Cæsar cum Sigismundo Bathoreo Transsylvaniae & Walachiæ Principe, Aarone Moldauiae & Michaelle Walachiæ Transalpinæ Regulis, fœdus aduersus Turcas certis conditionibus iniit mense Februario. Sub eiusdem mensis finem Tartari ex Vngaria redditum per Moldauiam in patriam spoliis amplissimis onusti parantes, in Moldauia prope oppidum Orissog ad Nestrum fluvium supra Tehyniam, a Transsylvaniais & Walachis cœsi, liberatis &c. Christianis captiuis, prædâ suâ sunt exuti, ipsum deinde oppidum

pidum vastatum, & Hazanes Bassa Tartaris suppetias latu-
rus, post acerrimum conflictum, non sine mediocri Trans-
sylvaniae clade, fusus & profligatus est.

Albertus Kyralius, exercitus principis Transylvaniae in
Walachia Transalpina praefectus, traecto Danubio die 16.
Martij, in tria millia Turcarum incidit: quibus maxima ex
parte cæsis & profligatis, plurimisque vna cum vexillis ca-
ptis, derisor oppidum Bulgariæ igne iniecto incendit & de-
struxit: ac die sequenti Danubium remeans Brailouiam arcē
ad huius fluminis ripam, manu armata occupauit.

Smyla oppidum in finibus Moldaviae magnum & opu-
lentum, ad Nestrum fluuium, non procul à Ponto Euxino si-
tum, ab Andrea Bargay, copiarum Transylvanianarum Præfe-
cto die 22. Martij, vna cum arce validissima expugnatum,
2000. Turcis cæsis, tormentis grandioribus plurimis captis
occupatum, & præsidio 2000. Walachorum munitionem est.

Carolus Mansfeldius Pragæ à Rudolpho Cæsare consue-
tis ceremoniis equitis Aurati dignitate, titulo principis Im-
perij Romani, die 28. Aprilis insignitus, & Vicarius Matthiæ
Archiducis (qui supremus Cæsarei exercitus contra Turcas
Imperator constitutus erat) creatus est. Aaron Moldauiq Vai-
uoda, ob proditionis suspicionem captus, eique Stephanus
Rosvvanus Transylvanus in Moldaviae dominatu substi-
tutus est.

Circa Iunij initium Tartari in Vvalachiam & Transyl-
vaniam irruentes à limitaneis præfidiis cæsi sunt. Paulò post
Ferhates Bassa opè Nicopolim cum suis copiis prælio de-
victus, ipsa vrbis vastata est. Ferdinandus autem Comes
Hardeccius, Iaurinensis arcis praefectus, perfidiæ erga Cæsare
conuictus, manu dextra ferro prius amputata, capite truncatur
Viennæ Austriæ, vna cum Nicolao Berlinio Lotharingo,
vigilum Laurinensem praefecto, 15. die Iunij. Mansfeldius
Calend. Iulij Strigonium obsidet. Batbotzca Sigetho 5. mil-
liaribus distans à Cæsarianis militibus capta est 30. Julij.

Mahumetes Græciæ Beglerbegus, Sinanis Bassæ filius,
selectissimo 15000. Turcarum exercitu obsessis Strigonien-
sibus latus opem, die 4. Augusti à Carolo Mansfeldio
propè Strigonium fortiter profligatus & in fugam compul-
sus est: ita ut Turcarum (inter quos Osmannes Bassa Iauri-
nensis cum sex begis fuit repertus) 5000. cæsis, signis mili-
taribus 27. vna cum duobus begis captis, Turcica castra
cum opimis spoliis Cæsareanis ducibus & militib. remanserunt.
Ex horum numero vix quinquaginta cæsi perierunt.

Achmetes bassa Temesvuarisensis, cum 8000. militibus à Transsyluanis die 13. Augusli prælio superatus, & amissis aliquot millibus suorum, begis queduobus captis, aufugit, arce Fachiata à victoribus occupata. Die 23. eiusdem mensis in Walachia Transalpina commissum est prælium inter Sinanem (qui ponte nauali structo Danubium traiecerat, atque illam prouinciam sub iugum Turcicum reducere conabatur) & coniunctas Walachorum ac Transsyluanorum copias, Turcicis longè inferiores. In quo, cum tribus confictibus, dubio Marte, quasi de summa rerum, acerrime diuicatum fuisset, Transsyluanit tandem facti superiores Sinanem, millibus aliquot Turcarum, nec non Mahumete bassa cæsis, tormentis & signis pluribus captis, cum reliqua fuga exercitus in fugam coniicerunt.

Strigonium certis cōditionibus Matthiæ Archiduci deditum, i. die Sept. Eodem die Albertus Kyralius, cuius antea mentio, Lippam arcem validissimam Turcis vi ad deditiōnem coactis occupauit. Cæsaris copiæ Vizzegradum arcem in altissima rupe sitam, supra Budam, probéque munitam die 21. Septembris expugnarunt: Petriniam quoque Croatiæ castellum ad Colapin & Craftouiziam die 24. mensis eiusdem occuparunt. Tartarorum 70000. exercitum, mandato Amuratis in Moldauiam ingressum, Johannes Zamoiscius, regni Poloniæ Cancellarius, exercitu 10000. militum comitatus feliciter repressit, die 18. Octobris, ita ut aliquot Tartarorum millibus cæsis, reliquorum dux inducias petere, pacē perpetuam regno Poloniæ, sub iuramento promittere, & cōcesso Jeremiæ Mogilæ Moldauiq; dominatu intra 25. diem eiusdem mensis regione illa excedere fuerit coactus.

Maximilianus Archidux Austriae quinque arces intra Solnokum versus Gyulam sitas occupauit eodem mense. Transsyluanorum & Varadiensium copiæ, die 23. Geneam superioris Vogariæ propugnaculum, non procul à Gyula, deinde undecim alias arces ditione paulò post facta occuparunt. Sigismundus autem Bathoreus Tergouisciam Walachiæ Transalpinæ Metropolim & Vaiuodę sedem, ex qua biduo ante sinan & Hazaues bassę Buckarestum profugerant, die 18. Octobris, sub vesperam expugnauit, & cæsis ultra 600 præfidiariis, horum præfectos & quosdam Turcicos proceres captiuos fecit. Biduo post arcem à Sinane bassa defectam & incēsam, nempe Buckarestum, absque ullo suorum sanguinem recuperavit; & 30. Octobris aliam arcem nomine Zorgain, ad insulam Danubij munitissimam, tridui obli-

obsidione, quinque millibus Turcarum partim cœsis, partim in Danubio submersis, magna captiuorum Walachorum multitudine liberata, expugnatam sibi subegit : Sinanem cum superstite exercitus parte Walachiâ eiecit, prædámque amplissimam adeptus est.

Stephanus Rostuanus, Moldauiq; Vaiuoda, dum regionis illius dominatum, quo non multò ante à Polonis pulsus fuerat, recuperare conatur, à Jeremia Mogila Moldauorū Principe & Cosaccis, mense Decembri, multitudine superatus, exercitu suopartim cœso, partim in fugam acto, ipse captus & palo viuus adfixus est.

Anno 1596. sub finem mensis Januarij Achmetes bassa Temesvuarensis, cum suo comitatu à Transylvanianis cœsus occubuit. Clissa arx Dalmatiæ, situ & opere munitissima, à Zenganis & Croatinis militibus stratagemate militari Turcis erepta est, die 7. Aprilis, quam postea die 31. Maij, cœsis Zenganorum & Croatorum copiis, cuiusdam Dalmatæ proditione recuperarūt. Lippa mense Maio à Turcis & Tartaris oppugnata, sed irrito conatu, oppugnantibus fortissimè repulsis & propè Temesuanum profligatis. Zambocum verò Castellum à Strigonienibus militibus ferro & igne, die vigesimo octavo Maij expugnatum, & Turcis trucidatis destructum est.

Vaciam arcem infra Nouigradum, non procul à ripis Danubij, copiæ Cæsareanæ, Turcis expulsis, vñ à cum arce, die 22. Julij occupant. Temesuarum urbem & arcem Vngariæ præcipuam, Transylvanus adducto exercitu castrisque admotis mense Junio aliquot dierum spatio obsedit, mutosq; vi tormentorum grauter conquassavit. Verum multis Tartarorum millibus præter spein & opinionem occurribus, & castra ipsius à tergo inuidentibus, à cœpta vrbis oppugnatione desistere, Tartarosq; obuiam ire coactus est. Quos etiam feliciter à castris pulsos, dissipauit, & in fugam conicit: sed re infecta discessit ab obsidione.

Hatvuanum arcem in Vngaria superiori satis amplam, situque & opere probè muniam Maximilianus Archidux, die tertio Septembris vi expugnat, atque in primo feruore 2000. Turcas trucidat, multaque prædâ potitur. Verum commeatu deficieute, & ruinis longum temporis spaciun ad instauracionem petentibus, Vngari milites Hatvani defensionem suscipere recusarunt. Vnde factum, vt altero post Maximiliani discessum die, arx illa à militib. deserta, 9. Sept.

ipsius Archiducis mandato, solo æquata fuerit. Petrinia **Croatæ arx**, coiunctis Christianorum copiis, ab obsidione Turcarum, 20. Septembris liberata, exercitu obsidentium fuso fugato.

Agria arx & propugnaculum Vngariæ superioris munitissimum, & episcopali sede nobilitatum, cùm à Mahomete III. Turcarum Imperatore, trium hebdomadarum intervallo, exercitu 150000. militum obsecum, inde suenter oppugnatum, & tormentis maioribus concussum, propugnacula etiam aliquot suffossa, pyrioque puluere subdito dilecta fuissent: tandem post frequentissimas impressiones in quibus 20000. Turcæ sunt interfecti, à militibus præsidariis, inuitis prossus & reclamantibus, imò deprecantibus præfectis Turcarum Sultano, promissa iisdem vitæ incolumentate, die 12. Octobris deditum est. Verum præsidiarij à Turcis contra fidem datam plerique cum liberis & uxoriis suis crudelissimè trucidati, præfecti autem capti, postea miris modis liberati sunt.

Archidux Maximilianus Cæsareani exercitus Imperator, adiunctis sibi Transsylvaniaeorum & Vngarorum copiis, cum Mahomete III. Turc. Sultano, prælio ad rudera pagi Kerestesch non procul ab Agria, die 26. Octobris, dimicauit. In quo etsi victores primo congressu extiterunt Christiani, qui multis Turcarum millibus trucidatis, reliquos secundo conflietu vna cum suo duce primario in fugam compulerunt, & usque ad castra Mahometis penetrarunt: attamen cùm plerique militum contra seuerissimum Archiducis Maximiliani edictum, ruptis ordinibus, rapinis incumbent, & in castris Turcicis prædas agerent; Panico quodam terrore percussi, in fugam subitaneam (ex qua nonnulli, sed pauci, præfectorum eos nec minis nec precibus reuocare vel retrahere potuerunt) sese effuderunt, exigua admodum Turcarum & Tartarorum manu eos insequebte. Unde factum, vt plures equorum vngulis in fuga proculati, quam ab hostibus ipsis trucidati perierint: atque ita nō minima victoriæ consequutæ pars amissa fuerit. In primo & altero prælio Christianorum quinque vel sex millia vitam amisere, Ernestus & Augustus fratres, Holstatiæ duces, plurimiique tam peditum quam equitum præfecti fortiter pugnantes carni occubuerunt: Turcæ vero ad duodecim millia interfecti fuerunt. Cruentæ aliquot velitationes die 22. 24. & 25. Octobris inter Cæsareanos & Turcas habita prælum præcesserunt, ad locum quendam palustrem è regione pa-

gi Kerestesch, quem Turce quidem occuparunt: sed tam potenter à Cæsareanis repulsi sunt, ut duobus Bassis cum magna militum multitudine cæsis, signa quadam militaria, & quadraginta tria tormenta bellica amiserint. Circa Nouembris initium Turcæ & Tartari ex illa pugna superstites, in Bulgaria circa Neapolin à Michaële Walachiæ Transalpinoæ Vâiuoda cæsi, profligati; ac præda, quam auferebant, amplissima exuti sunt.

Anno 1597. die 22. Maij Tattam Vngariæ arcem Nicolaus Palfius, Baro, Franciscus comes Nadastius, & Johannes à Berstain Baro Bohemus, Cæsareanaruim copiarum duces, porta noctu tormento bellico rupta, sine villa suorum clade expugnaruunt, & præsidiariis promiscuè trucidatis. Pappa propugnaculum Vngariæ inferiotis à Maximiliano Archiduce, post sex dierum obsidionem, die 20. Augusti deditio ne captum est. Idem Archidux Jaurinum die 9. Septembris oppugnare cœpit: sed hostem cuin valido exercitu ad auxilium aduentare audiens, obsidione soluta Vaciam versus discessit; Vbi pugnandi copia à Mahumete Bassa ipsi facta est. Quum verò Cæsareani numero longè inferiores, intra castrorum munimenta sese continerent, Mahumetes die 6. Nouembris, eorum oppugnationem ausus aggredi, adeò fœdè repulsus est, vt amissis septingentis Genitatis, Bassa Ezeckamo & magno selectissimoruim equitum numero, die sequenti simulatæ pacis tractationem per legatos suos obtulit, & ista larua rectus, cuin exercitu se subducens, Budam reuersus est. Post Turcarum discessum, Archidux Vaciam incendio deformatâ instaurata & munita, dimisit exercitū. Sigismundus Transylvaniæ princeps, occupatis die 9. & 12. Octobris Filecko & Chianado Castellis ad flumen Mari zium sitis, Temesvvarum obsedit, sed re infectamense Decembri ab incepto destitit.

Anno 1598. die 29. Maitij, Jaurinum fortissimum orbis Christiani propugnaculum, Adolphus Baro Schuwartzenborgius, Viennæ præfектus exercitu 4500. equitum & pedi tum Germanorum, Gallorum, Bulgarorum, Vngarorum comitatus, stratagemate militari (portâ nimirum præcipuâ vi machinæ bellicæ clanculum admotæ & succensæ à Vabacurtio nobili Lotharingo, rupta, disiecta & aperta, militibus immisſis, præcipuis plateis, vallis & propugnaculis occupatis) post acerrimam quatuor horarum diuinationem feliciter expugnauit. Ex Turcis cęsi 1600. capti 400. equi 700. & 185. tormenta bellica reperta. Ex Cæsareanis 500. vulne-

rati, circiter 700. trucidati sunt. Inter multos magni nomini
nis Turcas occisos, præcipuus fuit Mahumetes Bassa, qui
duobus sclopeti globulis ictus, fortiter pugnans, tandem à
Vabacurtio lancea transfoßus, propè portam occubuit; cu-
ius caput à ceruice reſectum, & hastæ ſuffixum, publicum
omnibus ſpectaculum præbuit. Cæſar Vabacurtium Equi-
tis aurati iure donatum, preciosis aliis muneribus & hono-
ribus ornatum dimisit.

Sigismundus Transſyluañiae Princeps, mutato vitæ in-
ſtituto, regionem ſuam Rudolpho Cæſari poſſidendam, &
contra Turcas tuendam, Albæ Iuliæ in conuentu Ordinum,
præſentibus Imper. Legatis, die 4. Aprilis tradidit: proceres,
Nobiles & ſubditos oīnes eidem iuramento fidelitatis &
obedientiæ obſtrinxit, Cancellariūmque ſuum in vincula
coniici iuſſit, proditionis criminē grauatum, mense Augu-
ſto capite truncatum. Maximilianus Cæſaris frater, Trans-
ſyluañiae Gubernator designatus, & vnanimi Ordinum con-
ſensu receptus eſt. Michael Walachiæ Transalpinæ Vaino-
da, Sigismundi exemplum ſecutus, vna cum ſuis ſubditis
mense Iunio legatis Rudolphi ſimiliter homagium præſti-
tit. Eodem mense Sigismundus duos Silesiaæ ducatus, Op-
poliensem & Ratiboriensem ſibi ad tempus vitæ duntaxat
à Cæſare (addita annua 5000. dallerorum penſione) con-
ceſſos occupauit, atque ibidem rerum ac fortunarum ſua-
rum ſedem collocauit. Verū duos vix menses in Silesia
commoratus, præter omnem expectationem ſtatione de-
ſerta per Poloniām ac Cepuſiam celeſtimis itineribus in
Transſyluaniam contendens, die 21. Auguſti, Claudiopolim
rediit.

Circa Auguſti initium octidui ſpatio, Schvattzenber-
gius Baro Tattam à Turcis antea iterum occupata in vi &
armis expugnauit, deinde Geſten, Tſchakam, Vallam, Vi-
taium, Palotam & Vesprinum arces Ungariae inferioris
partum defertas, partim deditas à Turcis occupauit. Sie-
tum arx Ungariae munitissima, die 6. Auguſti, circa meri-
diem incendio diuertiſis in locis repente exorto, vna cum tri-
bus oppidis tota ferè conflagravit.

Michael Walachus cum exercitu 5000. militum trajecto
ſub finem Septembris ſupra Nicopolim Danubio, in Bulga-
ria inrumpens, cum 12000. Turcis aperto marte dimicans,
multis cæſis, reliquos in fugam vertit: deinde vietoriam vr-
geus, ipſam Nicopolim aggressus eſt, quam fermè totam
exuſit, omnibus incolis Turcis vacum Bassa yrbis prafe-
cto

etō trucidatis. Similem fortunam quinque alia oppida Turcica experta sunt, cum multis pagis: ita tamen ut Turcis tantummodo cæsis, Christianorum & Bulgarorum vniuersusque sexus circiter sedecim millia, vna cum facultatibus ipsorum ex Turcicæ seruitutis iugo liberati, & Danubio transmisso in Walachiam deducti fuerint.

Buda regni Vngariae Metropolis, à Matthia, exercitus Vngariæ superioris Imperatore ab Octobris initio usque ad finem selectissimo 30000. equitum & peditum exercitu circumobsessa & oppugnata est. Ac quamuis Turcæ Præsidiani illam pro viribus propugnarent, & continuæ pluriç, vnde sequuta Danubij eluio, piaclaris Matthiæ conatibus, cuniculos nimirum inundando, & susceptas impressiones impediendo, remoram iniicerent: attamen suburbio versus Danubium, postea ciuitate satis ampla, castello denique in monte D. Gerardi à Cæsareanis summa vi expugnatis, Turcæ vltra duo militum suorum millia, ac duos basas, magnam commeatus variæque supellestilis copiam, tormenta item 80. ænea amiserunt. Cum autem Matthias ultra progredi non posset, arce ipsa tormentorum fulmine concussa, oppido & suburbio euersis, molis ultra centum exustis, villis in insulis Danubij insulis solo æquatis, earumque colonis numero 7000. abactis iumentis & pecoribus in veteres Cæsarii fundos reductis, obsidionem die 2. Nouembris soluit, exercitumque dimisit.

Varadinum, propugnaculum in finibus Vngariae superioris ultra Tibiscum validissimum & amplissimum, nec non Episcopatu celebre, Mahumetes Bassa, Hatalmas Chamus Tartarus, & Ismael Bassa Temesuuariensis, exercitu 15000. Turcarum & Tartarorum instructi, castris vndiquaque positis, die vigesimo nono Septembris oppugnarunt. Cum totis triginta sex diebus muros tormentis æneis feriendo, munimenta & propugnacula arcis, cuniculis actis, rumpendo, extrema omnia tentassent, & continua fermè impressionibus, acerrimè quidem, sed frustra oppuguissent: tandem Melchioris à Reden bellatoris strenui, & Maximiliani in Vngaria superiore Marescalli, virtute, diligentia, vigilancia, militumque Silesiorum & Vngarorum fortitudine fracti, conatusque omnes ita retusi fuerunt, vt obsidionem soluerint, & multis suorum amissis, tertio die Nouembris summo cum dedecore discesserint. Ex præsidiariis militibus, quorum obsidionis initio vix duo millia fuere, tanquam & tam stupendam obsidentium rabiem animose represe-

runt , mille & trecenti post obsidionem desiderati sunt, se-
ptingentis superstibus.

Bellum in Vngaria contra Turcas & Tartaros ferro &
igne certantes , ancipiti marte continuatur. Sigismundus
Transsylvaniae Cæsari commissam iterum inuadit. Cæsaria-
ni qui Cimisium tuebantur 400. Turcas Sigetha os ad in-
terencionem delect , Tartaris incendiariis etiam alio loco à
rusticorum intrepida manu ad vnum trucidatis. Schuuart-
zembergius suburbio Budensi ditepto , & stipendiis Agrien-
sium vi captis, atque 400. Turcis cæsis, Comorram cum suis
se recipit, atque Iunio mense arcein Bicensem occupat. Paulo
post Cæsareani Turcas comineatum Budanis præsidiariis
deducentes ad 5000. numerum interficiunt , & comineatu
intercepto ad sua propugnacula læti reuertuntur. Magnus
Moscouiæ Dux per Legatos ingentis pretij munera dat Cæ-
sari , & fœdus aduersus Turcas iniri petit.

Bassa Budensis in manus Schuuartzembergij incidit. Va-
radini Præfectus Zarcadam oppidum occupat. 700. Turcas
Palfius delet. Quum verò Persarum incursionibus Turce
vexarentur , Legatus Mahumetis Constantinopolim repe-
rit: & Matthias Archidux Cæsaris dimisit copias ad annum
sequentem.

Quoniam vetò Andreas Bathoreus Cardinalis Transyl-
vanus fœdere cum Turcis inito, tum Sigismondo Patrieli,
tum Michaeli Walachiæ Transalpiæ bellum indixerat, bel-
lum inter ipsos accensum est. Tandem Michael deleto Car-
dinalis exercitu, Transsylvaniae Cæsari subiecit Inde Car-
dinalis a omnibus derelicti fuga, in qua interceptus capite
truncatus est, ambitionis nimie premiu[m] reportans. Turcis
verò pacem detrectantibus Cæsaris præfecti variis modis,
eos arcibus suis eiecerunt, & multâ prædâ suat potiti.

Anno 1603. sub Martij fine in Georgius Bassa Transylva-
niam cum exercitu iogressus Albam Iuliam ditione reci-
pit. Ex Comitiorum Ratisbonensium (quibus Matthias Ar-
chidux Cæsaris nomine præfuit) decreto accepta pecuua &
copiis auctis cum Walachiæ Principe Mosem Iecelorium
prælio superat, 12 signis militaribus, i.e. tormentis, & mul-
tis captiuis relictis à Mose, quem dum Georgius persequi sta-
ruit, pedem referre cogitur , vt Turcis occuteret Budam
comineatu munientibus. Mense Decembri Mahumetes III.
Turcarum Sultanus Constantinopoli peste extintus est.
Paulo ante obitum, nobilem quendam Vngarum captiuum
Pragam ad Rudolphum cum literis ablegauerat, pacis con-
ditio-

ditiones proponentibus. Consilium Mahumetis fuit hoc praetextu vires reparare, & ciuitates quibus multum metuebat novo comeatu munire.

Sed mortuo Mahumete, atque Imperio Turcico ad Achmetem I. eius filium nouennem puerum deuoluta, anno 1604. Sultana eius mater, & Bassa penes quos vasti illius Imperij administratio esse dicitur, pacis colloquium conditionibus iniquissimis munitum proposuerunt: atque dum Cæsareanis illuduat, Pappam corruptis pecunia praefidiariis occupare nitebantur, positisque ad Canisium castris, dixerunt se velle suo Sultano tractum illum vendicare, quibus peractis de pace colloquium institueretur. Transylvaniæ autem hoc anno grauissima fame afflcta, Ordines in Comitiis Desuanis pro virili prouiderunt. In Vngaria Temesuuarius Bassa Lippam magna manu inuadens, cum ingenti suorum clade repulsus est. Carisium verò incendio deformatum. Et praefidiarij Budenses ad pabulum egressi, nec non à Pestenibus partim cæsi, partim fugati, bellum instaurant. Proditiones & latronum excursiones eodem anno Transylvaniam infestabant, non solutis militum stipendiis. Porro, dum Budensis Bassa literis arte compositis Strigonensi praefecto imponere studet, Simnidium arcem Turcæ occupatam incendio vastant, Limpacum vicum incendunt, sed non impunè, à Serinij Comitis milite fusi, & partim abducti. Vngari autem equites, Lippa Belgradum versus ad prædam excurrentes Keouiam arcem munitissimam confundunt, ab 800. Turcis custoditam, quos exceptis 40. fuga elapsis, & 80. captis, trucidarunt.

Hoc anno Pestam Iagenceuterus Praefectus & Praefidiarij Cæsariani paucico terrore percussi Turcis relinquunt, quam Budensis bassa sine puluere & sanguine occupat, suauiter Christianorum ignaviam perstringens. Septembris 18. Turce Strigoniūm obsederunt, sed post varias oppugnationes fortiter repulsi sunt, & tandem obsidionem soluere coacti, suorum multis millibus interfectis. Georgij Basta Legatus in Transylvania, dum omnia tuta somniat, cum copiis suis auxiliū Strigoniensibus latus accedit. Sed repentino statim motu Transylvania excitata est à Stephano Botscasio Istvano, vnde prælia, clades & strages variæ. tandem verò maximè auctus heiduccorum seu equitum Botscasio militantium numerus, quorum umbra sacrificulis & Loyolitis sectariis pauorem incredibilem creabat, vnde trepidationes & fugæ continuæ. Aduolans interim Georgius Basta cum

heiduccis manus conserit, & cæsis 400. Prefectum eorum comprehensum à pedibus suspendi curat, & tandem iugulari iubet. Progressus postmodo Basta in mille heiduccos incidit, cum quibus 25. 26. & 27. Nouembris ita pugnatum est, ut victoria ad heiduccos inclinaret, Basta fugam meditante. Sed 28. die resumptis animis, heiduccos dissipat, multis eorum in prælio cæsis.

Botscaius autem collectis nouis copiis, atque Transylvaniæ Principis nomen sibi tribuens, Basta multum negotium facesset. Nec poterat Basta cum suis in acie diutius, ob frigus intensem, cibatorumque & commeatus penuriam perdutare: itaque copias suas Epperiam versus reduxit, quæ ciuitas cum heiduccis iuramentum præstitisset, vnde clausa, se non posse Bastam cum suis admittere, nisi de exercitio Religionis iuxta Augustanæ confessionis præscriptum retinendo, & præstando sibi aduersus Botscaium patrocinio certa redderetur, aperte significauit.

Sub Decembribus initium, Basta Zatvuariam arcem obsidet, deinde Cassouiam, sed irrito conatu. Paulo post commodis rationibus ageus, & sanctè promittens se conditiones præscriptas obseruaturum, Epperiam, Geutsam, Zobenam, & Neuntorsium, Cæsaiis nomine, admittit. Heiducci contrâ pecuniam stipendiatiā, cuius summa 130.000 florenorum fuisse dicebatur Cæsareanis ereptam ad Botscaium peruerterunt, qui eam inter suos milites geometrica proportione seruata distibuit. Inde bellum exarsit crudelius quam ante, & heiducci sub Decembribus finem in castra Basta noctu irruentes, magna strage Cæsareanos affecerant: sed Caroli Collonitsij mira fortitudine repulsi in syluam proximam se receperunt. Attamen in proposito perseverantes, superioris Vngariæ ciuitates quasdam metallicas ad partes suas pertraxerunt.

Octobris 3. noua stella apparuerat, miræ magnitudinis, quæ usque ad menses multos anni 1605. perdurauit. Botscaius monitus, de pace articulos proponit, nempe ut Transylvaniæ gubernatio penes eum maneret, aliquis Vngarus natione generalis prefectus eligeretur, militibus Vngaris Vngarus præflet, Galli & Belgæ milites Vngaria dimitterentur, Vngaris stipendia bona fide soluerentur, liberum & publicum admitteretur exercitium, turbarum autores heiduccis puniendo traducerentur, Cæsarea maiestas in Comitiis Posonianis presentem se exhiberet, Germani milites à rapinis & excursionibus iniustis proisus abstinerent.

Basta

Basta his conditionibus minime acqueuit. Motus tunc in Transyluania augmentur, vniuersis propemodum Bastæ mandata serpentibus. Is autem 16. Ianuarij Vngaris superioribus gratiam offert, sed parum promouet: immo heiducci Cocceraim, oppositum Strigonio oppidum, & aliquor pagos diripiunt. & quum aliquo damno à Collonitsio essent affecti, vicissim eius arcem primariam expugnant, incendunt, & oppidulum propinquum vastant.

Dum istis turbis iauoluuntur Cæsareani, Vaccum Turcæ Vngarorum quorundam perfidia ditione recipiunt, & Vicegradum sub iunctum Martij occupatunt, Vngariâ intus & foris miserè dilaceratâ. Toto reliquo anno variis successibus bellum gestum est, Turcis ignem sollicitè fodientibus, ut ea ratione tum Cæsareanos & tandem heiduccos, Bastam denique & Botscarium opprimerent, totaque Transyluania & Vngaria Cæsarî nomem elicerent.

Die 18. Martij, 1606. Turcæ, densa nebularum caligine tecti, Iaurinum frustra tentant, Epperia autem ab heiduccis circumobsessa Cæsarî poscit auxilium. Botscarius Toccaium fame oppressum capit. Tartarorum aliquot millia 17. Aprilis à Cæsareanis deleta, & Turcæ ab heiduccis magno numero cæsi sunt.

Ingens tunc temporis inter Ducem Brunsvicensem & Brunswigæ ciues dissidium exortum est, quod in bellum apertum erupit. tandem mense maio 1606. mandato Cæsarî vtrunque repressum. Eodem mense bellum Pontificium in Italia exarsit aduersus Venetos, quod sequente anno Regis Galliæ cura compositum est. Tandem, pacis Vngaricæ Articuli conscribuntur, & obsignantur. Inter cetera, hæc continebantur: Botscarius pro se & heredibus suis masculis Transyluaniam retineat, Hungariæ tamen Regno subiectus sit, non Principem sese posthac, sed partium Regni Hungariæ Dominum appellitet. Damnorum omnium obliuio indicta.

Paulò post, Botscarius in morbum inciderat lento veneno procuratum, artibus Cataj cancellatijs sui, quem maleficij conuictum capite truncavit, tandem extinctus est circa finem Decembris. Annus 1607. turbis agitatus est in Vngaria superiori, Turcarum & aliorum technis. Botscario sublato secesserunt Transyluanî quantam in eo iactutam fecissent, atque ex illo fluere ac retro sublapsa referri Res Cæsarî. Vngari regem expetierant qui sua presentia motos fluctus compонere posset. In cum finem Matthias Cæsarî frater & pri-

marius Legatus regni Comitia Presburgi indixit ad x v. diem Iulij, quo tempore totoque Augusto cum absuisset, Ordines circa sequentis anni initium assignati sunt, ut de summa rerum ageretur. Interea, Heiduccotum à Turcis pecunia multa & machinisque bellicis adiutorum opera Vngari variis in locis, dubio marte, grauiter afflicti sunt.

Anno 1608. dum imperij Ordines Ratisponę a Ferdinandō Archiduce Gretzenſi, pro Césare congregati, tote quadri-mestri de rebus belli & pacis statuque publico rixantur, nē-pe à 15. die Ianuarij ad Maij mensis initium, Matthias, Césaris frater, Ordinibus Vngaticis p̄ficit Presburgi, ubi de pa-canda Vngaria civili bello afflcta actum est, cōque res per-ducte sunt, ut Heiducci qui post Botscāij obitum Vngariam superiorem militis modis ditipuerant, transirent ad partes Matthei, qui Viennam, reuersus copias suas militares in Mo-rauiam deduci curat.

Inde simultates intet Rudolphum & Mattheiam, quę tan-dem eruperunt in neruum. Nam 2. Maij Matthei archidu-cis exercitus Znaymo Morauię oppido ad Tibiscum am-nem, ubi 20000. veteranorum peditum & equitum exerci-tus, cum 28. bombardis grandioribus, numeratus est, Pra-gam versus iter arripuit. Bohemię ordines Matthias sui con-siliij certos reddit ad eos dato diplome, postulans ut ciuitatum legati ad se mittantur, 4. Maij, quibus rationes & peti-tiones suas exponat. César contra molli brachio conatus astos eludens, Pragam & Bohemiam totam sibi conseruat ad modicum tempus. Matthias enim armata manu in proposito pergit, & 19. Maij proprius accedens, tandem, nempe 17. Iunij, pacis inter fratres sancte articuli 18. conscripti sunt: quorum summa fuit: Matthias declaratus rex Vngarie, Bohe-mię verò designatur, & marchionatus Morauię administratio illi posterisque suis concessa: Archidux etiam Austrię no-minatur & paulo post Viennę solenni pompa ab Archidu-catus Ordinibus receptus est. Intra finem illius anni 1608. Vngarie regno, Archiducatu Austrię, Morauię marchionatu, Matthias pacificè potitus est.

Turbas Pragę exortas religionis causa, César sedavit, anno 60. confessionis Augustae sociis templo ad exerci-tia sacra concessio. Bellum Iuliaceum se componere per legatos, sed frustra studuit. Leopoldus Ferdinandi Gretzenſis, filius, Argentinensis p̄scopus, cum exercitu Pragam ingreditur, & Césaris vicarius appellatur: circa initium anni 1611. Inde paulo

R V D O L P H V S I I.

1612

pauld post ciectus , Matthias Pragam ingressus rex Bohemias coronatur mense Septembri, & initio anni 1612.
Rudolphus Cæsar in arce Pragensi morbo
oppressus moritur. Huic successit
Matthias eodem anno.

F I N I S.

